Plurima sunt, praesertim in Aegypto, alia a magistratibus inferioribus scripta. Sed, quod non ad imperatores et praesides attinet, necesse est modum retineamus. Quod ad papyros spectat, vide catalogum Wilckeni in Archiv. für Papyrusforschung I, 1 sqq.: (ὑπομνηματισμοί totius generis, epistulae aut edicta epistrategorum, strategorum, etc.) Nunc vero breviter inspiciendi sunt tituli qui, etiamsi incertissimi et maxime dubii, lucem quamdam in sermonem publicum hujus temporis spargere possint. Hic igitur miscenda erunt fragmenta totius generis de quibus aliquando quaeri poterit num ad nostrum temporis spatium pertineant.

EPISTULARUM ET EDICTORUM OMNIS GENERIS

Fragmenta dubia ac mutila vel nondum edita.

(De quoque paucissima adjungimus).

Ex Attica.

139. (Athenis) CIA III n. 30, 32, 34 (Hadriani ad technitas Dionysiacos??), 37 (τὸ ἐφόδιον indicatur), 39 (de vectigalibus pendendis), 43 (Caracallae??), 44 (legati pro praetore Septimii Severi??), 45, 46, 47 (de frumenti mercatura et pretiis?), 49 (de rebus sacris), 50, 51, 34 a (Antonini?) 34 b, 39 a (de honoribus tum acceptis tum repudiatis).

140. (Eleusine) Ἐφ. Ἀρχ. III, 1 (1895) p. 103 (Epistula imperatoria); MDAI XIX (1894) p. 171-172 n. 2, Ditt. Syll.[2] n. 408 (Epistula seu Hadriani seu L. Veri?).

E Boeotia.

141. (Thisbae). IGS, I, n. 2226-2227 (Cf. Addenda p. 747 sqq.) — Ditt. Syll.[2] n. 533.

E Phocide.

142. (Delphis) Epistulae complurium imperatorum, praesertim Antoninorum, quibus alludit Homolle Histoire du Temple BCH XX (1896) p. 721 sqq. (Cf. Comptes-rendus de l'Académie des Inscript. et Belles-Lettres, XXIV (1896), p. 87-88) : quibus conferenda erunt Hermes VIII (1874), p. 416 n. 5 (Trajani?); BCH VI (1882) p. 454 n. 86 in qua epistula ab Haussoulliero edita notamus v. 7 τοὺς χωμ aut τραγ]ῳδίας ὑποκρι[τάς; Archaeol. Zeitung XXXIV (1876) p. 142 n. 21 (Antonini aut Caracallae?), XXXVI (1878) p. 175 n. 197 (Antonini), XXXVII (1879) p. 53 n. 228 (Antonini?)

E Peloponneso.

143. (Spartae) CIG 1303.

144. (Corinthi) MDAI IV (1879) p. 160 et VI (1881) p. 353. Cf. Ditt. Syll.[2] n. 422 (Edictum proconsulis fortasse IV saeculi A.D.)

E Macedonia.

145. (Thessalonicae) JHS VIII (1887) p. 357 sq. (Edictum seu Epistula imperatoris).

146. (Heracleae Lyncestarum) BCH XXI (1897) p. 161 sq. et REG XI (1898) p. 273. Epistula aut proconsuli aut imperatori tribuenda, (vide, v. 6, εὐτυχεῖτε quod potius post epistulas imperatorias secundo saeculo scribi solet).

E Thracia.

147. (Chersonesi) Latyschev, Matériaux, fasc. 9 p. 40 sq. (Epistula praesidis Thraciae : pauca graeca cum multis latine scriptis).

E Mysia.

148. (Pergamis) Fränkel Inschr, von Pergamon II n. 270 (De Trajaneis ludis) 271, 272 A (et B versus 1) 276 (Antonini?) 277 ABC (id.?) 278, 279, 280, 281, 282 (de mysteriis Dionysi).

149. (Pergamis) MDAI XXIV (1899) p. 197 n. 62 (Edictum proconsulis de operariorum seditione).

E Lydia.

150. (Sardibus) Wad. III n. 621 (Expl. p. 205) (Epistula de sacris vectigalibus).

Ex Ionia.

151. (Ephesi) IBM III, n. 497 (Epistula imperatoris de mora in pecunia solvenda) 494, 496 (minima fragmenta).

E Caria.

152. Magnesiae ad Maeandrum) BCH VII (1883) p. 504 sq. Cf. MKB V. (1884-85) p. 72 n. 476. (Edictum praesidis de seditione pistorum.)

153. (Mylasis) Wad. III n. 442-443 (Expl. p. 130) = CIG 2695 b, 2700 e, 2717 b (Add. p. 1108) et forsitan 2701. Titulus maxime obscurus.

154. (Stratoniceae) Benndorf und Niemann, Reisen in Lykien, n. 129. (Fragmentum obscurum epistulae imperatoriae ?)

E Phrygia Epicteta.

155. (Aezanis) Wad III n. 858 (Expl. p. 238) = CIG 3831 a (15) (Fragmentum epistulae magistratus alicujus ex aetate imperatoris Claudii); Wad. III n. 877 (Expl. p. 243) = CIG 3841 f (in fragmento b paucissima verba cum Εὐτυχεῖτε). Cf. nostrum n. **89**.

Ex insulis.

156. (Mitylenis in insula Lesbia) IMA II 36, 37 = MDAI. XI (1886) p. 268 n. 10 et ΚΕΦΣ XV (1884) p. 39 sq. n. 5 (Epistula imperatoris aut magistratus); IMA II, 39, 40, 41 = MDAI XIII (1888) p. 65-66 n. 16 et 17 (fragmenta maxime dubia).

157. (Chii) MDAI XIII (1888) p. 165 n. 2 (maxime dubium).

158. (Coi) BCH V (1881) p. 237 n. 23, Mommsen, Zeitschrift der Savigny-Stiftung XI, 2 (1890) p. 34, Paton and Hicks, The Inscr. of Cos n. 26 (Epistula proconsulis alicujus Asiae de appellatione).

159. (Naxi) BCH IX (1885) p. 499 n. 5 (Epistula maxime mutila).

160. (Astypalaeae) BCH XV (1891) p. 636 n. 15, IMA III n. 206. (Epistulae Hadriani fortasse caput ?)

161. (Amorgi) Dürr, Die Reisen des Kaisers Hadrian p. 117 n. 95 = Ross Inscr. Ined. II n. 129. (Epistula imperatoris, fortasse Hadriani ?)

E Syria.

162. (In vico Suweida) Wad. III, n. 2307 (Expl. p. 529) (Epistula fortasse imperatoria a. 149 Antonino imperante). Paucissima exstant.

163. (In loco qui vocatur Aerita) Wad. III n. 2444. (Expl. p. 559). (Edicti fragmentum minimum.)

Ex Aegypto.

164. (Copti) BCH XX (1896) p. 169 sqq. (Edictum seu potius mandatum imperatoris alicujus de portoriis.)

PARS II

QUO ANIMO TITULI SCRIPTI FUERINT

(De usu titulorum)

PROOEMIUM

Si quis ad Romanorum historias animum intenderit, et tum regiones ab iis subactas, provinciasque creatas, tum latini sermonis apud populos victos progressum uno adspectu consideraverit, hoc quidem mirum existimabit in plerisque finibus imperii Romanos omnibus suam linguam imposuisse, atque hoc consecutos esse ut nunc non modo Italici sed et Galli et Hispani et alii populi in dicendo ipsos quasi parentes haberent, Graecos vero et Asiae populos longissime post deditionem graece locutos esse et victorum sermonis tantum vestigia admisisse. Quod autem ad historiam et ad rationes hujus rei spectat, multi dixerunt, et ipsi post alios longius disseruimus (1) quam ut nunc prosit universa et exempla et argumenta repetere. Hoc igitur tantum hodie nobis studio erit, illarum epistularum quarum exempla praebuimus cum genus et animum, tum sermonem perscrutari. Viereck sane jam senatus consulta epistulasque Augusti et nonnullorum

(1) Vide L. Lafoscade, Influence du Latin sur le Grec, apud Jean Psichari. Études de Philologie Néo-Grecque.

magistratuum collegit et optime explanavit (1). Nobis vero hoc tantum tempus tangere in animo fuit quod, fere senatus consultorum inops, Viereck aggredi noluit, id est quod sequitur Augusti principatum (2). Constantini alioquin aetatem non ipsi aggrediemur qua Constantinopolis condita, quasi novum imperii romani caput, majorem latino sermoni facultatem dedit sese in Graecorum sermonem immiscendi; quippe qui et splendidissimam et omnino latinam aulam Byzantii in urbe Graeca deinceps reperirent atque idcirco paulo magis et romanis consuetudinibus et latino sermone ex necessitate usuri essent.

Quod profecto ad tempus spectat cui incumbimus, hoc manifestum cuiquam videbitur titulos aut a Romanis viris scriptos aut e romanis archetypis translatos saepe et Romanum hominem et latinum sermonem redolere (3). Cujus rei multa exempla in hac secunda et in tertia parte nostra afferemus. Hoc rursus in utraque parte inspiciendum erit an Romani sive cum ad scribendum cogitarent, sive cum cogitata scriberent sese magis graecos ostenderent quam antiquos et indubitatos dominos deceret, et romani tum animi, tum sermonis processus lentior exstiterit quam nos expectare justum sit.

(1) Sermo Graecus.

(2) Ne monumentum Ancyranum quidem, Tiberii aetate quamvis scriptum attingemus, cum Viereck de hoc titulo quoque aliquas paginas (p. 85-88) scripserit, atque hic illic disseruerit.

(3) Quod in epistulis omnis temporis apparet; vide Foucart, Sc. de Thisbé p. 325; Cf. Viereck, p. 75.

CAPUT I

De specie et materie titulorum imperatoriorum.

Antequam titulis singulis ab imperatoribus graece scriptis operam demus, id nobis conspiciendum videtur cujusnam naturae ii generaliter fuerint.

Primum quidem, ab epistulis proprie dictis, segreganda sunt alia scripta quae in nostrum catalogum quoque collegimus, utpote quae ad historiam et publicorum morum et publici sermonis prodesse possent. Ex quibus maxime conspicua est illa Neronis oratio quam cum numero **8** retulimus. Quin vero hujus generis tituli extra consuetudinem omnino sint nemo dubitabit. Creberrima rursus fuerunt illa edicta quibus princeps non uni magistratui aut uni civitati, sed universis regionis cujusdam, atque interdum totius imperii incolis quidquam imperarent. Quorum nonnulla ad nos pervenerunt latine scripta : ejus generis est prooemium edicti Diocletiani (1), et duo Claudii edicta (2) in quibus post nomen et honores principum verba *dicit* aut *dicunt* legi possunt. Quibus verbis graece respondet verbum λέγει quod in uno imperatoris edicto (3) invenimus, frequentissime vero in magistratuum edictis reperitur.

Plerique vero tituli nostri epistularum speciem praebent. Multiplices quidem nobis servatae sunt illae epistulae latine scriptae (4) quibus princeps seu magistratui alicui seu regionis alicujus populo aut mandatum aut responsum traderet. Apud epistulas autem ejusdem generis graece scriptas,

(1) Vide nostrum, n. **82**.

(2) Vide Hermès IV (1870) p. 99-120 = Bruns[6] p. 240 n. 74: Ti. Claudius Caesar Augustus Germanicus pont. maxim. trib. potest. VI imp. XI p. p. cos. designatus IIII dicit. — Cf. CIL III (Suppl.) p. 1309, n. 7251. — Vide quoque edictum Augusti CIL X p. 479, n. 4842 = Bruns[6] p. 238, n. 73.

(3) Vide initium nostri tituli n. **8** qui ante orationem ipsam breve edictum praebet : Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ λέγει.

(4) Lege, praeter titulos lapidibus servatos, tum quaecumque rescripta codices postea receperunt, tum praesertim epistulas a Trajano ad Plinium minorem missas.

verbis usitatis *Hic aut ille, huic aut illi salutem* respondent in graecis exemplaribus verba ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι χαίρειν (1), quibus comitatur plerumque tota honorum principis series (2), ex qua annum scripti colligere possumus. Menda sane manifesta quaedam apparent, cum honores inter se discrepantes (3) aut etiam absurdi exstent : nemo enim accipere poterit Neronem esse simul Tiberii atque Germanici (4) ἔγγονον, id est pronepotem, quem locum a Rhodio aliquo rudi homine Mommsen corruptum esse putat. Quod vero ad finem epistularum spectat, verbis *vale* aut *valete* quae in latine scriptis leguntur, respondet plerumque verbum εὐτυχεῖτε. Hoc profecto nullam exceptionem admittit in epistulis tam variis Hadriani Antoninique : nonnunquam alibi invenimus ἐρρῶσθαι εὔχομαι ὑμᾶς, ἐρρῶσθαι ὑμᾶς εὔχομαι, ἐρρῶσθαι ὑμᾶς βούλομαι (5), quibus verbis comparandum est illud *Bene valere vos cupimus* quod in rescripto Constantini invenimus (6) ; simplicius autem ἔρρωσο (7) aliquando reperimus. Εὐτυχεῖτε vero tam frequens est, ut colligere possimus non eamdem consuetudinem hic esse captam atque in Ptolemaeorum aetatis titulis, in quibus εὐτυχεῖτε ad superiores, et ἔρρωσθε ad inferiores plerumque scribi videbatur (8). Praesides contra provinciarum ut videbimus infra, ad veterem regum morem paululum regrediuntur Unde verisimile habere possumus principes romanos, ac praecipue Antoninos, dum ad incolas regionum graecarum

(1) Verbum χαίρειν nota in nostro n. **72** abesse.

(2) Qui honores non exstant in nostris numeris **9**, **14**, **36**, **72**, **74** ; quod haudquaquam mirandum est, saltem in papyris **14** et **36**, quarum altera etiam falsam epistulam praebere nobis videtur.

(3) Vide nostrum n. **68**, 9.

(4) Germanicus. pater Agrippinae ideoque avus Neronis, erat ipse filius adoptivus Tiberii. De hoc mendo, vide **7**, 7 et commentarium editorum. Ditt.[2] putat « hominem Graecum latioris notionis ἔκγονος memorem, omisso υἱωνός, verba in brevius contraxisse. »

(5) Vide indicem : varia notabilia.

(6) CIL III, Pars I, p. 63, n. 352.

(7) **78** (Epistula Caracallae) Quod idem verbum apparet in nostro n. **63** cujus non adscripsimus exemplar.

(8) De hac consuetudine, vide Jouguet BCH XXI (1897) p. **141** sq. — Cf. omnes epistulas regum quas Michel transcripsit : 35, (Antiochi Soteris) v. 18, ἔρρωσθε ; 38, (Eumenis I) v. 20, ἔρρωσθε ; 42 (Philippi V) v 15, ἔρρωσθε, etc.

scribunt, urbanitate majore quam antiquos reges, atque etiam praesides ejusdem temporis usos fuisse.

Id quoque dignum est quod inspiciatur quibus usitatis sententiis hoc εὐτυχεῖτε jungeretur. Ex quibus quaedam manifesto in lapide ab illis Graecis additae sunt ad quos litterae scriptae erant. Fieri enim potuit, ut exemplum proponam, ut legatus graecus qui principi decretum quoddam suorum reddiderat, nomen suum cuperet post titulum adscribi. Ita igitur accidit ut verbum ἀπέδωκα cum nomine legati inveniamus (1). Saepissime vero, princeps ipse, seu potius ejus nomine illi imperatorii scribae qui « ab epistulis Graecis » vocabantur (2) nomen legati aut legatorum in epistula, sive ante sive post εὐτυχεῖτε inscribebant, cum verbis ἐπρέσβευεν seu ἐπρέσβευον. Illud quoque verisimiliter plerumque a Romanis adjungebatur legativum dandum esse legatis, nisi gratis legationem accepissent. Quod graece transferebatur his verbis aut similibus : ᾧ τὸ ἐφόδιον δοθήτω εἰ μὴ προῖκα ὑπέσχηται (3).

Quis de horum legatorum mentione miretur, si plerosque titulos nostros responsa esse meminerit? Poterat sane ultro Hadrianus commendare candidatum quemdam illi Ephesiorum concilio quod βουλή vocabatur (4); poterat Nero sponte sua convocare Graecos ut orationem suam audirent (5); poterant omnes principes per edicta provinciis suam voluntatem imponere. Saepissime vero hujus generis scripta ad id civitatibus Graecis mittebantur ut legationi cuidam seu gratia referretur, seu venia aut beneficium daretur. Constanter enim fiebat ut legati Romam venirent cum decretis suorum, quibus aut principi gratularentur aut quidquam ab eo peterent. Auditis igitur legatis et lectis decretis, quod graece imperatores dice-

(1) N. **17**, **23**, **24**, **25**.

(2) De illis scribis vide nostram dissertationem. Influence du Latin p. 149, n. 1.

(3) Vide n. **23**. Alibi (n. **20**, **33** et **49**) invenimus ὑπέσχετο. Aliquando πρεσβεύσειν vel τὴν πρέσβειαν ὑπολαμβάνειν adjuncta fuisse videntur (vide n. **20**); Cf. n. **33** quem non transcripsimus in catalogo, sed ubi apertissime legitur : ...ετο τὴν πρέσβειαν). Titulus maxime mutilus (Hermès VIII (1874) p. 416 n. 5, vide nostrum **142**) ejusdem generis verba praebet, sed ρ quod legebatur post ει (v. 8) corrigendum est in μ[ὴ προῖκα, etc.

(4) N. **26**.

(5) N. **8**.

bant « ἀποδόντων μοι τῶν ὑμετέρων πρέσβεων τό τε ψήφισμα ὑμῶν (1), vel ἀναγνοὺς τὸ δοθέν μοι ὑπὸ τῶν ὑμετέρων πρεσβευτῶν ψήφισμα (2). vel ἐπιγνοὺς ἔκ τε τῶν γραμμάτων καὶ διὰ τοῦ πρεσβεύοντος... (3), vel ἐντυχὼν ὑμῶν τῷ ψηφίσματι (4), vel τοῖς ἐπισταλεῖσιν ὑφ' ὑμῶν ἐντυχών (5), vel ἐνέτυχον τῷ πεμφθέντι ὑφ' ὑμῶν (6), aliisve ejusdem generis verbis, principes responsum dabant quod legati ad suos referrent. Videbimus autem infra ad quas res singulae epistulae plerumque pertinerent. Hoc vero jam summatim dici potest, epistulas nunc magistratibus civitatis alicujus (ἄρχουσι), nunc senatui (βουλῇ), saepius simul et magistratibus et senatui et populo (ἄρχουσι, βουλῇ, δήμῳ), aliquando illi concilio cui γερουσία (7) nomen erat mitti; mentionem quoque τῇ πόλει invenimus (8). Aliis epistulis « Communibus » (9) provinciarum missis, verba τῷ κοινῷ cum nomine populi et verbo χαίρειν adscribebantur. Epistulae vero quaedam, utilitatis minus universae, aut materiae ad pauciores pertinentis mittebantur tum synodis quibusdam, tum uni viro plerumque magistratui. Inter quas illae quae ad magistratus romanos missae erant, latine, ut par est, scribebantur, neque in ipsis codicibus illius generis « rescripta » reperiuntur, nisi latina, duntaxat ante quintum saeculum post Christum natum. Nostrae igitur epistulae summatim non ad id spectant ut magistratibus romanis suum officium significent, sed ut Graecos ipsos seu probent, seu alliciant, seu gratia et beneficiis ornent, seu etiam in veteres consuetudines, et respectum antiquum nominis romani reducant. De qua agendi ratione certiores fiemus si singulorum principum scripta perlustraverimus.

(1) N. 5.
(2) N. 6.
(3) N. 17.
(4) N. 19.
(5) N. 24.
(6) N. 25.
(7) Vide n. 20.
(8) N. 18.
(9) De illis Communibus, vide Guiraud, Les assemblées provinciales et Fougères De Lyciorum Communi. — De legationibus vide Radet, BCH, XIII (1889), p. 109 sq.; quod vero ad totam provinciarum graecarum vitam Antoninorum aetate attinet. vide I. Lévy, Études.

CAPUT II

DE SCRIPTIS IMPERATORUM, AB AUGUSTO USQUE AD HADRIANUM.

De epistulis Augusti paucissima dicemus. Etenim Viereck eas optime transcripsit et judicavit : neque quidquam alicujus pretii iis titulis adjiciendum putamus quos in « Sermone Graeco » suo summa diligentia excussit : in his epistulis elegantissime scriptis, utpote a romanis hominibus, princeps eam agendi rationem jam observat, qua successores ejus utentur. Hic (1) ita legationi respondet quae de devastationibus quibusdam questa erat, ut maxima commiseratio in epistula ejus appareat ; illic (2) Mitylenaeis ita de honoribus decretis gratias agit, ut maxima benevolentia uti cum iis videatur ; denique, in alia maxime conspicua epistula (3), princeps ostendit se accuratissime rei cuidam forensi animum dedisse : sic vero ad Cnidios loquitur, ut verba, aequa quidem ac moderata, parum vero grata proferat, nec quidquam de dignitate et firmitate imperatoria deserat.

In epistulis quoque Tiberii et Caligulae (n. **5** et **6**), manifestissima comitatis indicia invenimus, cum in altera Tiberius Coos laudet (4) et se etiam antea erga eos bono animo fuisse declaret (5), in altera, Gaius agnoscat populos ad quos scribit nullam ὑπερβολὴν in significando studio ac pietate erga ipsum omisisse (6), eosque hortetur ut sumptibus deinceps magis parcant (7).

De his epistulis potest quaeri utrum a principibus ipsis an a scribis quibusdam compositae fuerint ; neque ulla ratio idonea afferri potest cur imperatores ipsi calamum de rebus tam parvi momenti sumpserint. Quod vero de Nerone agitur

(1) N. 1 (Viereck n. VI).
(2) N. 4 (Viereck n. XXXI, Addenda).
(3) N. 3 (Viereck, n. IX).
(4) V. 9 : ἐπαιν[ῶ.
(5) V. 10 : δι]εκ(ε)ίμη(ν) δὲ καὶ πρότερον..
(6) V. 25.
(7) V. 33.

vix in dubium vocari potest. Nemo enim ignorat quanto studio hic princeps graecis litteris se dederit, et quanta jactantia ostendere omnibus cupiverit quid ipse valeret. Quis igitur miretur eum voluptatem aliquam percepisse et in scribenda et in pronuntianda oratione quam Corinthi coram Graecis haberet, quibus libertatem redderet. Holleaux quidem (1) multa de hoc titulo et justissima et argutissima edisseruit, ostenditque et quo tumore princeps sese attolleret, et qua arrogantia eos deprimeret quos beneficio suo ornaret. Cujus animi vestigia quaedam forsitan in nostris numeris **7** et **9** reperiantur. Manifestum quoque hoc nobis videtur, plures in dicendi genere consuetudines apud tres Neronis titulos haud semel apparere. Etenim verba τῆς εἴς με εὐνοίας in duobus numeris **8** (v. 1-2) et **9** (v. 7-8) invenimus; praeterea παρειχόμην (**8** v. 17-18) cum παρέχεσθαι (**9** v. 27) conferendum est; dein si inspiciemus locum possessivi in **8** v. 18 et **8** v. 20, et **9** v. 7, et si verbum ἡγεμόνες tituli **8** v. 25 cum verbo ἡγεμ[ο]νίᾳ numeri **7** v. 16 componemus, fere sine dubio colligemus uno atque eodem stylo hos titulos haudquaquam simpliciter compositos fuisse.

Quod vero ad Trajanum attinet, (non est enim cur de maxime mutilis Vespasiani et Domitiani et Nervae epistulis quidquam annotemus) liquet non eadem existimanda esse. Etenim verbum μεθ]ηρ[μηνευ|μένης, quod in papyro nostra **14**, v. 1-2, difficile est non legere, demonstrat principem aut scribam principis latine prius eam epistulam scripsisse; nec quidquam certi nos colligere licet ex aliis titulis. Animadvertamus quoque sententiam Trajani, de controversia inter Amphissenses et Myanaeos scriptam, tantum latine servatam fuisse (2), neque ullo modo probari, si exemplar graecum exstiterit, hoc non translationem esse. Quidquid id est, papyrus nostra, ut nihil probare potest quod ad sermonem graecum apud Romanos ipsos solitum pertinet, ita ostendit qua mente Trajanus magistratibus

(1) Vide n. **8**.

(2) Vide Homolle, BCH XX (1896) p. 722 : « B. Texte latin. Decision de l'empereur au sujet du litige avec Amphissa et Myane. » Quae sententia nondum edita est.

Aegypti de administranda regione scripserit. Est profecto optimi principis misereri illorum liberorum « quos patres eorum militiae susceperunt temporibus » (1), et quanquam Trajanus curat se melius quam antecessores acturum esse (2) hoc magis humanitati quam superbiae tribuendum esse putamus (3). Populos igitur graeco sermone assuetos, cum indulgentia quadam tractari nunc quoque videmus, et, quod ad sermonem ipsum spectat, haec translatio confirmare posset, si necesse esset, Aegypti incolas Trajano imperante non latinam linguam intellexisse, cum ipsis legionariis militibus exemplar graecum proponendum esset.

(1) Ita Bruns[6] transfert v. 22-23 nostri numeri 14.
(2) V. 18-19.
(3) Sinceri videntur esse versus 31-33.

CAPUT III

DE SCRIPTIS HADRIANI ET ANTONINI

Hadriani multo plures sunt epistulae repertae quam antecessorum ejus. Quod quidem non solum fossionum fortunae tribuendum esse videtur. Notum est enim multum Hadrianum Orientis populis consuluisse, atque etiam per eos libenter itinera fecisse, neque est mirum saepius et eos ad principem adiisse, et ipsum sponte sua ad eos quaedam scripsisse.

Primum notemus illud edictum quo Hadrianus « beneficio Atticae reipublicae constituit, ut certa olei portione ab agricolis conferenda et reipublicae necessario vendenda olei publico provideretur » (1). Quod edictum, ut par est, jussus speciem praebet, et modus imperativus semper adhibetur. Epistulae vero proprie dictae, quanquam plerumque brevissimae sunt, majorem tamen varietatem offerunt. Ex quibus aliae ad personas aut res singulares, aliae ad communiora tendunt. Hic (2) princeps L. Erastum, qui βουλευτής esse cupit apud Ephesios commendat, polliceturque se ejus nomine daturum esse pecuniam quam οἱ βυυλεύοντες cooptationis causa dare soleant (3). Illic (4) breviter significat se didicisse quomodo Stratonicenses et proconsuli cuidam romano, et ipsi nuntio Candido Juliano gratias egerint, quod quidem probationem quamdam continet. Epistulae quoque quibus facultates quaedam synodis dantur, si brevissimae, non tamen asperae sunt (5). Alibi (6) Hadrianus de honoribus et votis quae ad ipsum spectant perpaucis verbis respondet, quod quidem parcissimum esse videtur, praesertim si ad Neronis verba et scripta revolvimur. Aliae praeterea epistulae ad administrandas provincias perti-

(1) N. 35.
(2) N. 26.
(3) V. 14.
(4) N. 24 et 25.
(5) N. 17, 28. Cf. 139.
(6) 16, 27, 30, 32.

nent, ac praesertim ad res fiscales (1); ex quibus apparet principem maxima benevolentia in ejusmodi rebus usum fuisse. Quibus epistulis non est cur nostrum n. **36** aliter nisi memoriae causa adjungamus. Nam haec papyrus, ut liquet, tantum erat exemplum scripturae ad scholae alicujus usum, et ex epistulae ipsius oratione manifestum est materiam nihil esse nisi amplificationem vanam de mortis spe et de aetate qua parentes Hadriani mortui sint. Sin igitur de Hadriani veris epistulis concludimus, adducimur ut colligamus eas boni et diligentis principis esse, sed oratione, quamvis emendata, tam sicca et tam, ut ita dicam, colore orba indutas esse, ut a scribis quibusvis fortasse graecis, nec saltem nimium graeci sermonis ignaris, non autem a principe ipso scriptae esse videantur.

Antonini Pii epistulae complures quoque exstant, neque est cur ab hoc principe Hadriani consuetudines omnino omissas esse putemus. Inter eas quidem quae ad unum virum pertinent, noster n. **59** tam sobrius et tam inanis videtur ut aliquid incerti in supplemento fere manifesto manere libenter existimemus (2). Pleraeque vero publicae epistulae paulo majorem amplitudinem praebent quam Hadriano imperante. Ex quibus, ut tantum praecipuas percenseamus, tres ad Vedium Antoninum attinent, qui Ephesios aedificiis publicis donaverat, cui beneficio quidem incolae non satis magnam in primis gratiam retulerant. Quarum una (3) Ephesios objurgabat de ingrato animo; duae vero aliae (4) ad id respicere videntur quod incolae paululum agendi rationem mutaverant. Sunt praeterea plurimae Antonini epistulae quae ad Opramoam Rhodiapolitanum pertinent. Hic quidem, utpote vir munificentissimus, semper novos a Lyciis honores accipiebat. Evenire vero potuit ut praeses provinciae qui illos probare solebat, quosdam confirmare ideo nollet quod extra consuetudinem

(1) N. **18**, **19**, **20**, **23**, **33**.

(2) ὡς ἐπι[[ει]κῆ (v. 10) tamen ea condicione intellegi potest, si Eurycles prius tanquam improbus aut inurbanus homo, male a Panhellenio acceptus fuisset, quod fortasse princeps reprehenderat. Cf. n. **54** de Vedio Antonino.

(3) N. **54**.

(4) N. **55** et **56**.

decreti fuissent (1). Inde « appellationes » quas ἐπικλήσεις Graeci vocabant; quibus respondet princeps cum approbatione tum tacita, tum expressa : hic (2) uno verbo εἰκότως Gagarum incolas probat; illic (3) breviter Myrorum incolis respondet se rem ex eorum decreto cognovisse; alibi (4) princeps significat se quoque ex aliis epistulis didicisse quantum Opramoas de Lyciis meritus esset; interdum tamen, sicut in nostro n. **39** aliquas rationes cum paulo majore ubertate exprimit. Hanc eamdem imperatoriam brevitatem quam jam apud Hadrianum reperimus, hic quidem, ut videtur, paululum minutam, agnoscimus quoque in illis epistulis quae ad civitates totas, non ad unum hominem pertinent. Nam ea epistula qua Coronensium legationi Antoninus respondet, ut paululum sicca esse videtur, ita tamen Graecis blanditamento non esse non poterat, quibus illud πρέποντα Ἕλλησιν ἀνθρώποις ποιεῖτε pergratum esse solebat (5). Quod vero ad Thisbaeorum Coronensiumque de pascuo agro controversias attinet (6), non solum bonus imperator, sed etiam amicus et benignus et omnium rationum observantissimus apparet, ut ἦν ἀναγκ]αῖον (7) et δῆλον ὅ[τι (8) satis demonstrant. Idem quoque respectus ad subjectorum affectus ostenditur in illa epistula qua Ephesios contra Pergamenos iratos placare studet iisque persuadere vult nullam esse irae causam nisi τύχην, hortaturque ut nulla ultione utantur, titulorum alterius urbis ipsi μεμνημένοι (9). In his quidem epistulis oratio interdum latinum sermonem redolet, non ita vero ut eas translationes esse asseverare possimus. Nec quidquam vere novi in sermone publico hic afferri videbimus (10), et hoc solum nobis mirationi esse posset, nondum saepius post duo saecula ejus generis epistulas latine compositas fuisse quam ante Augusti principatum, nisi Romanos a graeco ingenio jamdudum captos esse compertum haberemus.

(1) Vide nostros n. **107** et **108**.
(2) N. **47**, v. 8.
(3) N. **37**.
(4) N. **44**, **45**, **46**.
(5) N. **49**, 8-9.
(6) N. **57** et **58**.
(7) Sive δικ]αῖον (**57**, 1).
(8) N. **58**, 17.
(9) N. **51**, 11 et 14-15.
(10) Vide infra, Partem III.

CAPUT IV

DE TITULIS AB IMPERATORIBUS SCRIPTIS A M. AURELII AETATE USQUE AD CONSTANTINUM.

Post Antoninum defunctum, mirae epistularum hujus generis inopiae offendimus. Vestigia quidem complura supersunt, tam mutila vero aut tam corrupta, ut saepe nihil de iis colligi possit. Maxime tamen conspicua notemus.

Primum epistula quaedam M. Aurelii Caesaris, necdum imperatoris, συνόδῳ τῶν περὶ τὸν Βρεισέα Διόνυσον, id est synodo cuidam Smyrnaeae scripta (1), sic composita fuisse videtur, ut ex iisdem scribis atque Antonini epistulae oriri possit. Tempus enim quo scripta est, et illud εἰ καὶ ἑτέρως τοῦτο ἀπέβη (2), cujus similia exempla Antonino imperante invenimus, argumenta probabilia sunt ad eam sententiam. Aliud vero de epistula Septimii Severi (3) colligi potest: etenim in hac epistula in qua legationi, ipsi gratulatae, princeps gratias agit et quam in deorum sacrario inscribendam et servandam mittit, plura latinitatem redolent quam ut graece primum scripta esse possit; quod etiam verisimilius fit si mendum translationi tribuendum, sicut optimus editor Waddington, admittimus (4). Si vero Septimii Severi et Caracallae epistulam de sophista Rufino legimus (5), hoc nobis iterum annotare licet quod jam de Antonini epistulis diximus, quantum principes romani providerint ne populos sibi subactos vexare viderentur : quod hic ex verbis δικαιότατον (6) et οὐ γὰρ ἄξιον (7) manifestum est. De nostro n. **77** qui est Caracallae tri-

(1) N. **62**. De ejus generis synodis, vide Ziebarth, Das griechische Vereinwesen, peculiariter p. 51. Cf. p. 11 et p. 74 sq.
(2) V. 9-10.
(3) N. **68**.
(4) Vide v. 9 et notam.
(5) N. **72**.
(6) V. 8.
(7) V. 9.

buendus, hoc in primis liquet sermonem omnino a sermone puro et liquido abhorrere; epistulam vero Valeriani et Gallieni imperatorum Saloninique Caesaris (1) patet e vestigiis in utraque lingua scriptam fuisse, quod ostendit simul et Romanos adnisos fuisse ut nomen romanum extenderent, hoc vero tempore ut antea adactos fuisse ad publica documenta transferenda si ab incolis graecis intellegi vellent (2). Quanquam igitur de toto illo saeculo tertio paucissima disserere possumus, hoc tamen novum quodam modo fortasse conspicitur, sermonem publicum epistularum graecarum paulatim, sive in exemplaribus archetypis, sive in translationibus, pravius adhiberi et corrumpi, ità tamen ut, plerisque veteribus consuetudinibus servatis (3), haudquaquam conjicere possimus latinam linguam unam apud Orientis populos mox usurpari posse.

Quod quoque confirmabitur si edicta ejusdem temporis non penitus quidem sed collationis causa inspexerimus. E quibus tria non silentio praetermitti possunt, scilicet edicta Alexandri Severi de Auro Coronario, Diocletiani de pretiis, Constantii Chlori de « παρασημειώσεσιν ». In primo quidem eorum (4) quod in Aegypto inventum, privatim de latino in graecum translatum fuisse videtur, quaedam apparent ex epistularum consuetudine : princeps enim antecessorum suorum exempla profert, ac de sua φιλανθρωπίᾳ et suis εὐεργεσίαις dicit (5). Cum vero hoc edictum non Graecis solum sed toti imperio mitteretur, neque sermo ipse aut imperatorum aut scribarum eorum esset, non facile est quidquam ex eo inferre de consuetudinibus principum in graecis provinciis administrandis. Majoris quidem momenti, quanquam archetypus non erat graecus, est illud memorabile edictum quod Diocletiani de pretiis dicitur (6). Desiderandum sane est quod exordium

(1) N. 81.

(2) De « bilinguibus » hujus generis titulis, vide nostram dissertationem : Influence du Latin sur le Grec p. 96-97 et p. 115 cum nota 1.

(3) Noster numerus 80, verisimiliter A. D. 286 vix dissimilis est priorum saeculorum titulorum.

(4) N. 79.

(5) V. 2 οὐδὲ ἀποδέοντι παραδειγμάτων. — V. 16 φιλανθρωπίᾳ τε καὶ εὐεργεσίαις συναύξειν ταύτην τὴν ἀρχήν.

(6) N. 82.

in latino sermone tantum scriptum nobis servatum fuerit. Quidquid vero graeci inventum est, latinus archetypus sive adest, sive abest, nobis maximo est documento de illius temporis, apud mercatores operariosque vocabulis usitatis. Multa profecto hic nomina vere graeca sunt; alia vero, quamvis litteris graecis scripta, ita ad latinorum nominum exemplar expressa sunt, ut vix graecum sermonem agnoscere queamus. Imo : non est dubium quin aliquando translator illius verbi sensum ignoraverit quod ei transferre in animo esset (1). Quidquid id est, ea vulgaris Romanorum sermonis verba in graecum conversa et in lapide incisa, maximi momenti erant ad latini sermonis nomina in Graecorum linguam introferenda; ex iis igitur apparet et quatenus romanus sermo sponte sua intenderet ut sese victis imponeret, et quomodo circa 300 A. D. quaedam illorum vocabulorum latinorum obrepere solerent quae etiam nunc in graeco sermone animadvertuntur (2). Inde vero etiam magis hoc colligere licet, quod non semel notavimus, nondum latina verba, latinis litteris scripta, apud graecos populos intellegi posse. Edictum vero Constantii Chlori et Maximiani de ea annotatione quae παρασημείωσις vocatur, id est « quae locum habeat in reis requirendis, quorum bona, nisi copiam sui praestiterint, fisco vindicentur » (3) aliquid nos docere potest de publico ejusdem temporis graeco sermone; hic quoque, sicut in priorum imperatorum epistulis, φιλανθρωπίας affectationem agnoscimus (4), quanquam modus imperativus adhibetur, et poenae in fine proponuntur.

Si igitur colligere aliquid volumus de hoc tertio saeculo, parum quidem epistularum locupleti, sed aliquot edictis promulgatis claro, admittere possumus tum quoque principes

(1) Vide 24, 13 ejus edicti, verbum « infectum » quod hic « tinctum » significat, verbo ἀγένητος translatum esse, cujus sensus est « non factum ».

(2) Non pertinet ad nos iis vestigiis studere. Rem tamen, quanquam parum in ea intellegebamus cum auxilio optimo Psicharii summatim attigimus in nostra dissertatione p. 141 sq. Cf. alioquin praefationem ejusdem magistri III p. XLI sq. De ipsis edicti Diocletiani verbis vide totum editorum commentarium.

(3) CIG, 356 Vide nostrum n. 84.

(4) Vide v. 21.

romanos saepe sermone graeco cum graecis populis usos fuisse, et plerumque eodem modo eodemque animo atque antecessores eorum ; quaedam praeterea ab iis latine scripta translata fuisse, ita ergo ut illa tam nota verba « utraque lingua », ἡ ἑκατέρα γλῶττα, magis atque magis de publico sermone vim et significationem haberent (1). Neque est dubium quin paululum latina lingua apud Orientis populos magis nota sit ; hoc vero certissimum est Romanos consuetudinem graece scribendi haudquaquam omisisse. Ex quo efficitur multa vocabula in eo esse ut ex latino in graecum obrepant, et graecam linguam si non cedat, saltem Romanorum sermone, quod certe ad selectionem verborum spectat, contaminari posse. Sed hic nondum est locus de singulis hujus sermonis regulis disserere, et jam inspiciamus quo modo et quo animo epistulae magistratuum scriptae fuerint.

(1) Vide nostram dissertationem Influence du latin sur le grec, p. 117-118.

CAPUT V

DE EPISTULIS ET EDICTIS MAGISTRATUUM

Epistulae edictaque magistratuum romanorum, cum saepe ad similitudinem epistularum edictorumque imperatoriorum scripta sint, non est cur tam longe ad ea animum intendamus. Necesse est tamen hic quaedam nova cum multis consuetudinibus notis mixta notemus.

Iis quidem scriptis, utpote praecipuis, fere tantummodo studebimus, quae a provinciarum praesidibus proficiscebantur. Et nunc quoque sejungenda erunt edicta ab epistulis. Edicta enim, quorum nonnulla, praesertim in Aegypto inventa, habemus, incipiunt ab illis verbis : ὁ δεῖνα λέγει (1). Epistulae vero initium capiunt a verbis : ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι χαίρειν, quod quoque cum imperatoriis titulis consentaneum est. Dissimilitudo contra apparet in epistularum fine, ubi non εὐτυχεῖτε, sed ἔρρωσο aut ἔρρωσθε, aut ἐρρῶσθαι ὑμᾶς (sive σε) εὔχομαι, aut ἐρρῶσθαι ὑμᾶς (sive σε) βούλομαι reperimus (2). Semel quidem longiorem verborum circuitum invenimus : ἐρρῶσθαι ὑμᾶς καὶ εὐτυχεῖν πολ[λαῖς ἔτεσιν εὔχομαι (3). Verbum autem εὐτυχεῖτε fere nusquam reperire est (4). Quod vero ad tempus notandum pertinet, omnia cum epistulis imperatoriis congruunt, excepto quod hic, ut par est, consuetudines earum regionum ubi tituli inventi sunt, magis apparent. Ita, in Aegypto, ut exemplum maxime conspicuum proponam, signum L cum numero anni imperatoris, et mensis Aegyptii dieique mentione tempus significant (5). In aliquot denique titulis verbo προτεθήτω hoc imperatur ut scriptum oculis incolarum propositum maneat (6).

(1) Praeter Aegypti edicta, incipiunt quoque ab his verbis nostri numeri **95, 116, 144, 149.**

(2) Vide indicem verborum notabilium.

(3) N. **115.**

(4) Tantum fortasse in n. **146** de quo nihil certi dici potest.

(5) Vide n. **127, 128.**

(6) Vide **125** (Col. III v. 14) et **129** (v. 12)

Nonnullae sane Asiae proconsulum epistulae exstant. E quibus quaedam horum praesidum consuetudines animadverti possunt. Vide enim primum quomodo proconsul Asiae 65 A. D., Antistii Veteris successor, in causa quae in bonis Staphyli cujusdam versabatur (1), mutet « priorem sententiam quam Chiorum legatorum adversarii recitandis Veteris litteris ipsi persuaserant ». In qua epistula praeses exponit quas ab causas sententiam mutaverit, neque hoc commemorare omittit et quam constanter scripta ab antecessoribus suis observaverit ac laudaverit, et quam diligenter in litibus utriusque partis instrumenta perpenderit. In ultimis quoque ejusdem saeculi annis, alius proconsul eamdem Romanorum in administranda provincia constantiam ostentat (2) Cujus generis cura interdum comitatem quamdam admittit, ut demonstrat epistula T. Aquillii Proculi (104 AD) qua decretum quoddam proconsul longe ac benigne probat (3). De nostris profecto numeris **91** ac **92** nihil proprie dicendum : multo vero majoris momenti est illa Avidii Quieti epistula, de controversia quadam finium ad Aezanitas scripta (4). Praeses enim quodam modo diligentiam Romanorum in provincia regenda extollit, et beneficium Hadriani jactat cujus cura (5) et justitia cum humanitate mixta (6) omnes lites composuerint. Hoc quoque observandum esse existimamus epistulam Quieti ad Aezanitas graece scriptam esse, epistulas vero et Hadriani ad Quietum, et Quieti ad Hesperum, et Hesperi ad Quietum latine. Ex quo apparet magistratus non sponte sua sed per necessitatem quamdam graece scribere, cum ad nullos ita scriberent, nisi ad eos qui latinum sermonem prave intellegere possent. Ex quibus nos quoque colligere licet epistulam Quieti verisimiliter non translationem esse ; etenim cum aliae epistulae, etiam quod ad Aezanitas pertinebat, tanti momenti essent ut proponerentur, non erat cur simul atque epistula ad Aezanitas non transfer-

(1) CIG 2222 (Vide n. **88**.)
(2) N. **89**.
(3) N. **90**.
(4) N. **93**.
(5) ἐπιμέλεια, v. 8.
(6) μείξας τῷ φιλανθρώπῳ τὸ δίκαιον, v. 7.

rentur. Proponenti vero satis visum est singulas epistulas ita lapidibus incidi sicut scriptae fuissent. Denique, ut ea finiamus quae ad proconsules Asiae pertinent, notemus edictum quoddam (1) in quo praeses se aliquid errare fatetur, et antecessoris aliud edictum cum maxima consuetudinum reverentia et eximia erga incolas benignitate confirmat (2); ex quibus fere eosdem atque apud imperatores mores agnoscimus.

Inter alias quidem praesidum epistulas, eae etiam notari possunt quae e praesidibus Lyciae-Pamphyliae oriuntur. Longa enim epistularum series ad Opramoam Rhodiapolitanum attinet. Quidquid autem de epistulis Antoninorum civitatibus seu gratias agentium seu gratulantium notavimus de his praesidum epistulis dici potest : quae summatim haud minus siccae ac jejunae esse videntur. Tres tamen praecipue hic conspiciendae sunt : primum n. **107** in quo Seneca verbis obvolutis ac fere ambiguis de illis honoribus novis abnuit quos Commune de Opramoa decreverat ; dein n. **108** in quo Cornelius Proculus nunc principe favente ea laudat quibus prius obstiterat, denique n. **110**, ubi idem Proculus Myrorum scribae declarat se titulos quosdam Opramoae concedere, nisi hoc contrarium sit aut legibus aut consuetudinibus civitatis. Opportune etiam apud hos titulos observandum est quanta cura Romani quidem non vexare subjectos studerent, quanta vero calliditate tum consuetudines invocarent, tum illa explicarent quae in agendi ratione inter se contraria videri possent, tum laudibus et parvis beneficiis oblinerent quidquid simultatis e prioribus certaminibus maneret, tandem, ne multa, impedirent ne Commune et civitates romanum jugum aut molestum haberent aut excutere tanquam levius tentarent. Oratio ipsa, mehercule, fere semper jejuna ac sicca, majorem tum amplitudinem praebet cum praeses explicatione quadam ad id operam dat ne injuria quidquam fecisse aut facere videatur. Multa hic e consuetudine graecorum decretorum capiuntur; multa quoque paululum nimis latine dicta apparent. Hoc vero manifestum est hujus modi epistulas neque

(1) N. **95**.

(2) V. 9-10, ὅθεν ἀναγκαῖ | ον... ἡγησάμην.. v. 12-13 εἰς τὴν τῆς λαμπροτάτης Ἐφε | σίων πόλεως τειμήν...

quod ad rem neque quod ad orationem pertinet incallidas esse. Quod quoque nostro n. **96** ostenditur brevissima sed non inepta epistula, in qua praeses responsum ita laude obvolvit, ut jugum romanum fere evanescere videatur : « Magis decet, inquit, bene facta laudari quam confirmari », hoc autem ei facile erat quidquam male factum fuisse contendere !

Quod ad alias provincias spectat, nihil fere commemorandum est inter scripta a praesidibus, nisi fortasse edictum quoddam legati Thraciae, et quidquid Aegypti praefecti sive epistulis, sive edictis mandaverint.

Historiarum scriptorum quidem esset ex edicto Sicinnii Clari (1), legati Augustorum pro praetore in Thracia, illa extrahere quae ad emporia vel condenda vel administranda pertinerent. Hoc saltem observemus legatum, dum exponit et quae fecerit et quae cupiat, gravitatem quamdam ostentare quae in ipso et sententiarum cursu et verborum delectu apparet. Legatus enim manifesto ad id tendit ut et praesidum et totius nominis romani reverentiam atque amorem apud legentes augeat: inde illa verba qua Romanos et decentiam (2) in universo imperio et splendorem (3) in unoquoque foro, et felicitatem apud omnes colonos et subjectos (4) et perennitatem in omnibus operibus suis (5) et quaerere et adipisci Sicinnius significat. Oratio vero hujus edicti, in initio affectationem quamdam praebet saepiusque paululum gravis tum propter sententias longas argumentorumque plenas, tum ob res et verba concludendo repetita ostenditur. Hoc sane edictum nemo dubitet quin vere romani viri sit.

Magis graeca quidem sunt ea quae Aegyptii praefecti eodem tempore scripserunt. Cum vero praesertim edicta sint, vix nostra refert de iis loqui: ob hanc causam tamen nobis alicujus momenti esse possunt si animum scribentium inter-

(1) N. **116**.

(2) V. 208-210: βουληθέντες ἐν τῇ αὐτῇ εὐπρε | πείᾳ διαμεῖναι τὴν αὐτῶν | ἐπαρχείαν...

(3) V. 211-212 : τὰ ἐνπόρια ἐπιφανέστερα ὑπ[άρ] | ξαι..

(4) V. 215-216 : εὐτυχέστε | ρα... v. 230-231 εὐδαιμονέστερα | ταῦτα ἐμπόρια...

(5) V. 247-248 : ὅπως ἐπιμελείας τυν | χάνοντα εἰς ἀεὶ διαμένοι...

dum patefaciunt. Catalogus profecto noster legentem de scriptis singulis breviter monebit : pauca igitur tantum passim de iis observemus. Nos primum animadvertere decet ad edictum Cn. Vergilii Capitonis (1) quod oasis Thebarum stratego missum est cum ea epistula quam transcripsimus. Etenim in edicto ipso notandum est a praefecto sua imperata rationibus expressis explicari (2), quod quidem non moribus praesidum romanorum contrarium est; praeterea, in epistula hoc observandum est quam diligenter praeses curaverit edictum ita omnium oculis proponi ut nemo quidquam ex eo ignorare possit (3). Ex edicto quoque Ti. Julii Alexandri (4) historiarum scriptores multa excerpere possunt et certiores ita fieri de illis injuriis quas, Galba imperante, « excercebant magistratus in rebus praesertim ad vectigalia pertinentibus » (5). Prooemium saltem dignum est quod a nobis conspiciatur; nam hic quoque commendantur beneficia Augustorum (6) ac praecipue Galbae magnificis verbis laudati (7); apparet praeterea ea cura, jam supra annotata, felicitatis perennis confirmandae subjectis (8); hic denique iterum invenitur cupido extollendi quidquid a praefecto ipso factum sit (9). Nec magis omnino praetermittenda sunt illa Aegyptia edicta quae papyri recentes nobis patefecerunt, seu de archivis (10) seu de fiscalibus rebus (11), seu de de diebus festis et sacrificiis (12), seu de fugitivis incolis (13). Hic enim etiam quaedam de animo et consuetudinibus praefectorum nobis documento esse possunt : namque

(1) N. 119.
(2) Vide initium v. 15 sq. Καὶ πάλαι μὲν ἤκουον, etc. deinde : v. 17-18 : καὶ νῦν δὲ ἐν τῇ τῶν Λιβύων | μάλιστα ἔγνων ὑποθέσει, etc.; denique v. 21 : διὸ κελεύω.. etc.
(3) Vide v. 12-13.
(4) N. 121.
(5) CIG, 4957.
(6) V. 4 : τὴν πόλιν ἀπολαύουσαν τῶν εὐεργεσιῶν, ἃς ἔχει παρὰ τῶν Σεβαστῶν...
(7) V. 7 : τοῦ παντὸς ἀνθρώπων γένους εὐεργέτου Σεβαστοῦ Αὐτοκράτορος Γάλβα...
(8) V. 3 : Πᾶσαν πρόνοιαν ποιούμενος τοῦ διαμένειν, etc. Cf. v. 5 εὐδαιμονίᾳ.
(9) V. 6-7 : οὐ διέλιπον μὲν κατὰ τὴν ἐμαυτοῦ δύναμιν τὰ ἐπείγον | τα ἐπανορθούμενος.
(10) N. 122, 125.
(11) N. 123, 124, 126; cf. 127 epistulam de hereditate.
(12) N. 131.
(13) N. 130.

apparent et mos imperatores aut priores praefectos quasi auctores consilii cujusdam proferendi et cura jam haud semel observata principes et totam romani imperii rationem laudandi : quibus voluntatibus respondet saepe verbum ἀκολούθως aut similia (1), et vocabula εὐετηρία aut εὐμένεια aut alia ejusdem generis (2). Quid enim romanis magistratibus carius esse poterat quam suam potestatem quasi et unam et semper optimam populis subjectis ostentare ?

Quid denique de aliorum magistratuum scriptis dicendum esse existimemus? Paucissima sane. Multae quidem praesertim in Aegypto repertae sunt epistulae eorum ; sed in epistrategorum et strategorum ceterorumque magistratuum quid est cur commoremur? Hic enim res minoris momenti saepissime tractantur, neque ipsa titulorum oratio nos vere nova de Romanorum sermone publico docere possent, cum plerique illi magistratus saepius quam praesides Graeci sint. In catalogo tamen nostro notare voluimus aliqua scripta quae nonnulli magistratus de rebus quibusdam protulerunt quas praesides et princeps saepe ipsi curabant. Ex quibus controversiae de finibus conspicuum locum obtinent : namque saepe evenit ut judices sive a praeside, sive ab imperatore ipso eligerentur (3), ut ἀπόφασιν id est sententiam de finiendo agro darent. Quae sententia saepe, ut videtur, in utraque lingua conscripta, oculis omnium in lapide proponebatur. De his titulis quidem, cum oratio multo minus libera sit quam epistularum, ea fere tantum observanda esse videntur quae ad verba et ad syntaxin pertinent, de quibus infra paululum disputabimus. Adjungere nostro catalogo denique voluimus aliquas epistulas procuratorum imperatoris, inter quas Caelii Flori epistulae, de Opramoa scriptae, praesidum epistulis similes sunt, excepto eo quod fortasse de rebus magis ad fiscum pertinentibus scriptae fuisse videntur.

(1) Vide **127**, 16 : προσήκει δὲ ἀκολούθως τοῖς τοῦ κυρίου γράμμ[ασιν. — **124**, 27: φανερὸν ποιῶν κατακολουθεῖν ταῖς τοῦ Μεττίου Ρούφου... Cf. **123**, 8 : καὶ παραδείγματι τῷ καλλίστῳ χρώμενος γνώμῃ τοῦ κρατίστου Μαμερτείνου.

(2) Vide **130** Col. I, v. 11 sq. κ[α]ρπὸν τῆς εὐετ[ηρίας κ]αὶ τῆς τοῦ κυρίου ἡμῶν| Α[ὐτο]κράτορος περὶ πάντας ἀνθρώπους κη[δε] | μονίας. Cf. v. 17 sq. εὐ[μ]ε | ν[είας καί χρη[σ]τότητος et Col. II v. 19-20 : [με]τὰ τὴν τοσαύτην μου φιλαν | θ[ρ]ωπίαν.

(3) De hac distinctione vide Latyschev de nostris n. **49, 57, 58**.

Nunc jam, et antequam de sermone epistularum nostrarum loquamur, aliquid summatim dicere possumus de genere et animo omnium hujus modi scriptorum. Tituli sane, praesertim quod ad primum et ad tertium saeculum spectat, saepius deficiunt quam ut consuetudines Romanorum nobis sensim sequi liceat : illud vero non observare non possumus Romanos semper iisdem moribus, neque incallidis neque debilibus usos fuisse ut graecas provincias administrarent, quippe qui animum semper intenderent ut nomen romanum et propter constantiam coleretur, et humanitatis causa diligeretur. Hoc quoque jam, si non argumentis peculiaribus probare, saltem summatim prospicere potuimus vix sermonem latinum inter Graecos irrepsisse, neque fere aliter aut principes aut praesides tertio saeculo incolis graecis quidquam promulgare, atque Augusti tempore, cum perpauca etiamnunc latina oculis proponantur, multa vero graece scripta, seu archetypi seu translationes, aut in lapidibus incidantur aut papyris mandentur. Quidquid denique de horum titulorum oratione judicavimus jam nobis significavit illam graecam linguam quae in epistulis nostris apparet, frequenter quidem aut nimis siccam aut nimis gravem esse, et saepissime latinum sermonem redolere, minus vero barbaram plerumque fieri quam nos exspectare justum sit. Quod quidem fortasse certioribus argumentis nobis confirmare licebit, si hunc sermonem grammatice in singulis partibus perspexerimus.

PARS III

QUO STYLO TITULI SCRIPTI FUERINT

(De sermone titulorum).

Nihil quidem certi et constantis de sermone tam variorum titulorum statuere licet. Alii enim ab imperatoribus neque iisdem, neque ejusdem aetatis scripti sunt; alii a praesidibus aut saltem a magistratibus; alii per lapides, alii per papyros servati sunt; alii Romae manifesto compositi, alii in Asia aut in Aegypto litteris mandati; alii archetypi, alii translationes sunt; alii scribarum latinorum, alii scribarum graecorum opera esse existimari possunt. Quos vero si generaliter, quod ad sermonem pertinet, tractaverimus, forsitan aliquae aut consuetudines, aut res singulares discernendae sint quibus nobis publici sermonis graeci historiam illustrare liceat. Ab iis quidem, quasi a principio, nobis proderit proficisci quae Viereck optime edisseruit de temporibus quae Tiberii aetati praecurrunt, eaque exquirere quae nobis nova esse videantur. Hoc igitur nobis semper inspiciendum erit utrum ille publicus sermo, graecus quidem, sed latina consuetudine delibatus, sese explicuerit et devolverit, atque ut ita dicam, magis magisque ad Romanorum linguam sese inclinaverit, an etiam post plura saecula haudquaquam penitus tactus ac mutatus appareat.

Ab orthographia quidem et verborum flexione incipiemus; dein ad syntaxeos artem, denique ad verborum selectionem vertemur.

CAPUT I

DE ORTHOGRAPHIA ET DE VERBORUM FLEXIONE.

Haud sane nobis in hoc immorandum esse putamus quod aut lapicidis (1) aut papyrorum scribis manifesto tribuendum est. Saepe enim littera est omissa, saepe littera sine causa mutata; interdum quoque casus aliquis aperte pro alio positus est (2). Cujus generis menda frequentissima in titulis quibusdam, in nostro n. **84** et in BGU n. 15 (3), ut exempla et lapidum et papyrorum proferamus, inveniuntur.

Sunt quoque alia quibus nos haerere supervacaneum esset, cum nulli legi parere videantur, nec quidquam discriminis inter hos et alios ejusdem temporis titulos observare liceat. Crasis quidem saepe, nec semper adest. (4) ; ι tum adscribitur, tum abest (5) ; ει saepe pro ι, et rursus aliquando ι pro ει repetitur (6). Jam vero majoris momenti est quod ad ν paragogicum pertinet. In nostris enim titulis haec littera saepe post ι seu ante consonantes, seu ante vocales invenitur; saepius quidem, ante vocales adest, quanquam plures hiatus hic notamus : ἅπασι ἐπαινῶ **6**, 27; ἔτυχε ἐπεί **93**, 4; πράγμασι ὄντων **121**, 22; καθήκουσι ἄδικον **121**, 31; ὀφείλουσι ἧ

(1) Vide in titulis de Opramoa, orthographiam ἀρχιερέος quae sicut in decretis saepissime apparet; quod verbum alioquin non in epistula proprie dicta locum obtinet. De forma ἐπεστάλκετε, vide infra p. 100, n. 7. De ἀναλ[η]μφθέντες (n. **14**, 23-24) vide Dieterich p. 92 et Thumb. p. 136.

(2) Vide **7**, 21.

(3) Epistula epistrategi quam in nostrum catalogum non admisimus. De consuetudinibus apud papyros jamdudum solitis, vide Edwin Mayser, passim.

(4) Inter exempla craseos vide **20**, 12, τἀμφισβητούμενα; **57**, 2, κἀκείνους; **26**, 12 et **54**, 13, κἀγώ; **90**, 258. τἀνδρός; cf. **108**, VII G 8, καὶ ἐμοί et **90**, 263 κἀμοί, etc. Notemus crasin in Viereckii titulis minime crebram exstare (v. p. 56). Cum autem in antiquioribus titulis quoque reperiatur (v. Schweizer, Perg. Inschr., p. 133) nihil est cur quidquam nisi usum varium observemus.

(5) Vide, ut unum exemplum proferam, in eodem titulo (n. **23**) scriptos esse dativos τῆι βουλῆι (v. 7) et γεινομένη (v. 9).

(6) ει pro ι frequentissime repetitur : ι pro ει invenitur in διεχίμην (?) **5**, 10; ἱς **8**, 15, **57**, 2; παρῖναι, **8**, 4; ἀνισφορίαν **8**, 14, etc. **90** praebet in v. 263 ἐπιδάν et in versibus 270-271 ἐπει | δ(ά)ν.

123, 13 (1). Si vero ea memineris quae Schweizer de cunctis Pergamorum inscriptionibus edidit (2), nihil hic novi tibi observare licebit, quod confirmare paululum potest rationem apud graecos totius generis titulos usitatam hic magis reperiri posse quam in prioris aetatis Romanorum scriptis (3), In interioribus vero verbis ν saepe pro γ invenitur ante γ, κ, χ, quod, quanquam frequentissimum est, ne constantius quidem apparet quam in ceteris hujus temporis titulis (4). Notemus quoque ν ante β, π, ψ, positum in verbis ἐνποδών **26**, 13; συν[βέ | βληται **39**, XI, C. 6; ἔπενψα **58**, 13; συν | βουλεῦσαι **90**, 274-275, quae res ejusdem generis est (5). Γ quoque ponitur pro κ ante δ seu λ in nonnullis verbis sicut ἐγλογιστής **121**, 36, 51, 53 (6) aut ἔγδικος **137**, 8, 63 (7). Quod denique ad alias consonantes spectat, observemus ττ conspici pro σσ in pluribus locis : πράττειν in **32**, 6 (fg. d); φυλάττομεν in **80**, 12; φυλαττειν in **88**, 5-6; ἀντέτ]αττον in **108**, VII G v. 3; τέσσαρα vero **12**, ep. c. 8, seu τεσσάρων **8**, 5, seu δεκατεσσάρων **6**, 42, quoque inveniuntur (8). Ex quibus hoc saltem colligere licet quamdam orthographiae elegantiam in nostris epistulis aliquando affectari.

(1) Quod generaliter ad hiatum pertinet, hoc quidem quaeri potest nostrine scriptores ad id proprie studuerint sicut Polybius aliquando, ut eum vitarent. Nusquam, neque in ipsius Neronis titulis, talem curam invenimus. De hiatuum copia, vide exempli causa nostrum **134**.

(2) Vide Schweizer, p. 137 (et Meisterhans, p. 89), ubi indices de ν paragogico sive praesenti, sive absenti statuuntur.

(3) Viereck, p. 56 ita declarat de suis titulis : « ν paragogicum constanter quidem positum est ante vocales, neque vero certa ratio adhibita est ante consonantes, ante quas nonagies quater additum, tricies semel omissum est. Ante vocales autem centies additum est. » Quam « constantiam » saltem hic nullo pacto reperire est.

(4) Vide Schweizer p. 121, ubi dicitur nullo tempore ν in his verbis constanter inveniri. Viereck p. 55 saepe ν pro γ in suis titulis scriptum esse exponit. In nostris vero, ut unum exemplum proferamus, invenimus de verbo ἀναγκαῖος seu ejusdem familiae verbis, γ in **23**, 8; **74**, 6, etc. ν, in **28**, 9; **89**, 4; **117**, 24-25; **134** IV A 3-4,7.

(5) Vide Viereck p. 55.

(6) Cf. contra **119**, 36 ἐκλογιστάς.

(7) Cf. contra **84**, 45 [ἐ]κδικία.

(8) Schweizer, p. 125 notat Pergamis, omnibus aetatibus, σσ, non ττ inveniri. Quod idem notat Viereck (p. 55) de suis titulis, « uno loco excepto, qui exstat in epistula Augusti elegantissime scripta (IX, 19). » De σ alibi reduplicato (in Ἀσστυπαλ[αιέων **16**, 4, et **19**, 4), cf. Meisterhans, p. 69.

Sed jam potius ad illa verba vertamur quae ex latino sermone in graecum effluxerunt. Et primum de communibus verbis loquamur. E quibus sane plurimi in edicto Diocletiani inveniuntur, neque ipse Hugo Blümner in prooemio commentarii sui (1) ea omisit indicare quae sibi notatione digna viderentur. Cujus exempla non transcribimus, cum non omnino ad propositum nostrum pertineant. Hoc vero legenti fortasse proderit scire *al* semel fieri αυ, ῑ vero aut etiam ĭ in ει, υ sive in ου, sive in ο, sive aliquando in υ, ϱ in β aut in ου mutari. Editor notat quoque litteras quasdam nunc omissas, nunc falso duplicatas, nunc metathesi transpositas fuisse. Quibus exemplis quaedam in aliis nostris titulis conspecta adjungamus : primum hoc ipsum verbum φειβλατώριον (2) quod postea in edicto Diocletiani reperietur cum orthographia paululum dissimili (3); quod nobis haudquaquam mirandum est, dum ει idem est atque ι per iotacismum, et vocalis *u* saepe apud ejusdem generis verba in latina lingua absit. Notemus quoque aliquot verba ex illo Trajani rescripto excerpta quod in nostro catalogo n. **14** obtinet. Quorum πρίδιε (v. 8), latinum adverbium litteris graecis scriptum nusquam alias inveniri videtur, λεγιῶνο(ς) vero (v. 6, 7) est genetivus verbi λεγιών quod non semel reperitur eodem fere tempore pro λεγεών (4) cum haec scribendi ratio non solum ea aetate magis solita esse videatur quam λεγιών, sed etiam apud sermonem publicum mansura sit (5); οὐετρανός quoque (6) alias cum eadem orthographia repetitur (7); quod denique ad πρινκε[π]ίοι[ς] (v. 9) attinet, si non idem verbum, saltem ejusdem generis vocabula reperiuntur apud scriptores omnis aetatis post Polybium (8). In

(1) P. XII, vide nostrum n. **82**.

(2) N. **12**, ep. c, 7 : φειβλατώρια δύο.

(3) Vide in hoc edicto : 19, 15, φιβουλατώριον; 19, 16 id.; 19, 53 φιβλατώριον. Cf. Suidas : φιβλατώριον. (Latine : fibulatorium); cf. Eckinger, p. 76, Dieterich, p. 38.

(4) Vide Sophoclis, ad hoc verbum; cf. Schweizer, p. 46; de usu verbi apud Plutarchum, vide Sickinger, p. 24, Eckinger, p. 30, Moulton, p. 33.

(5) Vide Schweizer, p. 46.

(6) V. 29-30 οὐε | τρανοῖς; cf. Eckinger, p. 20.

(7) Vide Sophoclis qui refert ad Epiph. II 29 A (sexto saeculo post Christum).

(8) Vide apud Sophoclis πριγκιπᾶτον, πριγκίπειοι, πριγκίπια, πρίγκιπος, πρίγκιψ. Cf. Eckinger, p. 20.

aliis quoque titulis verba fere latina notavimus : πραιτώριον (1) quod verbum constanter in novo testamento invenitur (2), ταβουλάριος (3) et κορνικουλάριος (4) quae verba in sermone graeco Byzantina aetate quoque reperiuntur; neque est cur verbis αἱράριον aut δηνάριον (5) immoremur quae aliquando in titulis de rebus fiscalibus scriptis apparent sicut in omnibus ejusdem temporis de eadem materia compositis. Orthographia denique observanda est eorum nominum quae ad tempus significandum pertinent. Nihil quidem mirandum videtur in εἰδῶν, quod invenimus, quanquam ἰδῶν saepius fortasse apud scriptores apparet (6), neque in καλάνδαις (7) aut καλανδῶν (8); minor, vero aequalitas est in νόνας et νωνῶν, sicut in nominibus mensium, ubi simul φεβρουαρίων et φεβραρίων, ὀκτοβρίων et ὀκτωβρίων et ὀκτωνβρίων, δεκενβρίων et δεκεμβρίων inveniuntur (9).

Nomina vero propria hominum aut locorum a latinis tracta, tam crebra sunt ut iis tantum animadvertere possimus quae extra ordinem deferri videantur (10). Mirandum quidem haberemus Antoninum in eodem titulo quater Ἀντωνῖνον ac semel Ἀντωνεῖνον fieri (11), nisi iotacismi causa, ει et ι eodem modo ad aures scribentium resonuissent. Inveniemus quoque et Ποπέλ[λιος? (12)? et Ποπίλλ[ιος (13), atque item Βρεταννικός (14),

(1) N. **116**, 252 τὰ πραιτώρια.

(2) Vide Sophoclis.

(3) N. **135**, 8; cf. 21. Vide Sophoclis; cf. Dieterich, p. 38 (latine : tabularius).

(4) Vide BGU, I, 106, (verso), quem titulum non in catalogum admisimus : κορνικουλαρίωι; (latine : cornicularius). Cf. Sophoclis; Eckinger. p. 38; Dieterich, p. 38.

(5) Vide, exempli causa, in epistulis proprie dictis **94**. 53. **105** V E, 6-8. Cf. **139** (CIA III, n. 47, v. 12) αἱραρίῳ; v. Eckinger, p. 26.

(6) Vide Sophoclis. ad verbum ἰδοί; cf. indicem nostram grammaticam.

(7) N. **23**, 19.

(8) Quod quoque brevius indicatur cum κ. aut καλ. — Cf. Eckinger, p. 18, Dieterich, p. 19.

(9) Vide indicem grammaticam ad haec verba; cf. Viereck, p. 81, Dieterich, p 73 et 92.

(10) De hujus translationis regulis, vide Dittenberger, Hermès VI, p. 130, sq. et p. 282 sq. — Cf. Eckinger.

(11) N. **65** : Ἀντωνεῖνος exstat v. 11.

(12) N. **38**, Epistyl. 5.

(13) N. **56**, 17.

(14) N. **78**, 6. — Cf. **66** (CIA III, 40, v. 3 Βρετα[νικός); quae scribendi rationes inveniuntur apud scriptores, sicut Βρεττανικός.

denique et Καπετωλίῳ (1) et Καπιτωλείοις (2); quae quidem si parum congruere videntur, non saltem nimis a consuetudine horum temporum absunt (3). Neque magis omnino constat quod ad v latinum in nominibus virorum pertinet; nam sicut generaliter v per ου redditur, et, ut exempla dem, Νέρουα et Σεουῆρος, secundum regulas cognitas plerumque appareant, ita accidit ut Νέρβα (4) et Σεβῆρος (5) inveniamus. Quidquid id est, perpauca hic dissident a more solito, neque hae ipsae inaequalitates in ceteris omnis generis scriptis deficiunt.

Quod quoque ad flexiones verborum, sive declinationes, sive conjugationes spectat, vix nostri tituli quidquam novi afferre possunt. Quin imo : quisquis et titulos a Viereckio collectos et epistulas nostras legerit, sine dubio agnoscet majorem urbanitatem, atque, ut ita dicam, atticismum apud nostros titulos inveniri posse. Namque semper χάριν (6), nunquam χάριτα usurpatur; qui usus, si est Polybii et scriptorum Atticorum, non est titulorum Viereckii, ubi χάριν in his locis tantum usurpatur, ubi verbum vim praepositionis habet (7). Quod vero est ad declinandum verbum tam frequens in nostris titulis πρεσβευτής, nulla certior lex adhibetur quam cum Macedonum principum titulis, quippe apud quos saepe πρεσβευταί, non semper πρέσβεις in plurali numero appareat (8). Hic vero, ut πρεσβευταί ac πρεσβευτῶν (9) invenimus, ita reperiuntur quoque formae πρέσβεις et πρέσβεων (10), quod satis demonstrat haud nimis de hac re nostros titulos ab attico usu abesse. Quaedam

(1) N. **7**, 17, cf. Eckinger, p. **29** sqq.; Dieterich p. 13.

(2) N. **52**, 12.

(3) De Καπετώλιον vide Dittenberger, p. 138 qui de ceteris similibus verbis disserit (Τεβέριος, Δομετιανός, etc.) Cf. Dieterich, Untersuchungen, et Kaelker, Leipz. Stud. III, 1, p. 235 ubi de verbis hujus generis apud Polybium edisseritur.

(4) **59**, 3, cf. **142** (Arch. Zeit. XXXVI, p. 175, n. 197, v. 3); Cf. Eckinger, p.87.

(5) Vide MDAI XXII (1897) n. 2. p. 381, v. 10-11 Ἀπόφασις ἐπάρχου Σεβῆρος Eleusine reperta quam utpote maxime dubiam ne in catalogum quidem admisimus). β pro v latino invenitur quoque in titulis Viereckii (vide p. 57). Cf. in nostro **74**, 14 Λίβωνι.

(6) Vide indicem : Notabilia varia. Cf. Meisterhans, p. 101.

(7) Vide Viereck, p. 59.

(8) Vide Schweizer, p. 141.

(9) N. **6**, 24 et 33-34.

(10) N. **5**, 6 (πρέσβεων); **7**, 11 (πρέσβεις); **88**, 2 (id.)

praeterea magis aut ex sermone vulgari aut e regionum pecularium consuetudine quam ex ignorantia et barbarie orientia conspici possunt (1) : cujus generis sunt ille aoristus fortasse Alexandrino aut Boeotico more desinens in οσαν quem cum συνηγόσαν (2) invenimus, praeterea perfectum γεγράφφατε cum φ reduplicato (3), illa quoque perfecta aut plusquamperfecta incremento inopia, κατορθωμένοις (4) et μ[εμ]αθήκειν (5) illis plusquamperfectis similibus quae in Novo Testamento constanter invenimus (6). Potius vero latini sermonis vim dignoscere possumus in illis seu perfectis, seu plusquamperfectis verborum circuitu ad morem passivi latini expressis quorum plures hic apparent ἦ κα[τενηνοχώς (7) ; ἦν πε[φιλοτειμη | μένος (8); πεπραγμένον ἦ (9); πεφρονηκότες ὦσι (10). Neque vero harum formarum usus, sed tantum abusus dignus est qui notetur, cum alia ejusmodi exempla in aliis et ejusdem aetatis et aliorum temporum titulis se ostendant (11).

Ex quibus colligere possumus fere eadem esse vera, potius vero attenuata quam aucta, atque Viereck de suis titulis dicebat, id est orthographiam et flexiones verborum usurpatas « magis ejus esse qui sermonem graecum didicerit quam cujus patrius sermo fuerit graecus (12) ». Hoc vero agnoscamus quod saltem de senatus consultis non dici poterat, plerosque scribentes vere graecum atque aliquando paene atticum sermonem didicisse, neque nostra scripta, exceptis aliquot titulis fortasse sive a lapicidis, sive a scribis corruptis, nimium latina vel barbara inveniri.

(1) De ἀνείλαντο (**14**, 11-12) vide Moulton, p. 33; de κατιστανομένων (**128**, 1) vide ibidem p. 37; de ἐπεστάλκετε, vide infra, p. 100, n. 7.

(2) N. **138**, 13. Vide Viereck, p. 59. De usu ejusmodi formarum in Novo Testamento, vide Blass § 21, 3.—Cf. Schweizer, p. 169, Dieterich, p. 242 et Thumb, p. 198

(3) N. **45**, XII E 2. — Γέγραφφεν quoque in decreto (III G 10) invenimus, unde certiores fimus hanc formam non a Romanis oriri. — Cf. Jannaris § 66, 9.

(4) N. **68**, 12 et 22, Dieterich ; p. 211 alia ejusdem generis exempla profert.

(5) N. **44**, XII D, 3.

(6) Vide Blass, § 15, 1.

(7) N. **35**, 25.

(8) N. **39**, XI C, 1-2.

(9) N. **119**, 36

(10) N. **121**, 37.

(11) De toto illo temporum usu, vide Viereck, p. 66.

(12) P. 56. In hoc loco quidem Viereck tantum de orthographia colligit.

CAPUT II

DE SYNTAXEOS ARTE. — DE ARTICULO ET DE PRONOMINIBUS.

Paulo quidem plura de syntaxeos arte latini sermonis vestigia inveniemus, ita tamen ut saepe potius peculiaria et fugacia, quam communia et mansura esse videantur.

Quod primum ad articulum pertinet, illi Romani qui titulos nostros seu sponte sua graece scripserunt, seu latine jam scriptos transtulerunt, nequaquam usus graecos ignorabant. Saepe enim inter articulum et nomen apparet complementum maxime graecum, et, mehercule, aliquando longissimum : τῆς εἴς με εὐνοί | ας **8** 1-2, **9** 7-8; ἡ περὶ ἡμᾶς φιλοτιμία (**9** 12); τὴν | προχειμένην τοῖς σοφισταῖς κατὰ τὰς θείας τῶν προγόνων | ἡμῶν διατάξεις ἀτέλειαν (**72**, 3-6). Saepe quoque articulus, more maxime graeco, est repetitus ante complementum postpositum : τά τε οὖν τέλη τὰ ἐ[κ | τῆς χώρας (**23**, 9-10) ; τὴν οἰκίαν... τὴν οὖσαν ἐν τῇ[ι πό | λει (**23**, 10-12); qui usus cum priore convenit in **72**, 2-5. In vero ejusmodi exemplis accidit ut articulus ibi omissus sit ubi Attici libentius eum exprimerent : τῇ] φιλοτιμίᾳ περὶ τὴν πόλιν (**25**, 9); ἀντίγραφον τῶν θείων γραμμάτων, πεμ | φθέντων, etc. (**115**, 34-35). Quod vero minus mendosum est quam articulus ante nomina sine ratione omissus (1).

De hoc quidem articulo omisso, fere eadem hic dicenda sunt quae Viereck de superioris aetatis titulis observavit. Saepe enim manifestum est ob hoc tantum articulum abesse quod Romani non articulo uti soleant. Hic quoque evenit ut articulus in prooemiis epistularum absit, ante verba ἄρχουσι, βουλῇ, δήμῳ ; quod vero nullo modo constans est, neque summatim Viereck errabat cum animadverteret articulum

(1) In epistulis de Opramoa scriptis, invenimus tum τῷ κοινῷ Λυκίων **39**, XI B 12-13; **41**, XI G. 2 (?); **42**, XII A. 12, tum τῷ κοινῷ Λυ | κίων **109**, VIII A, 2-3, tum denique τῷ κοινῷ τῶν Λυκίων **46**, XII E, 9-10. — Cf. nostrum **48**, XII G, 4, quem maxime mutilum non transcripsimus. — Cf. Viereck, p. 60.

semper adesse in illo loco, apud epistulas imperatorum romanorum « Trajani, Hadriani aliorumque » ; de qua re, ut subtilius loquamur, notamus Tiberium (1) et Neronem (2) et Domitianum (3) in nostris duntaxat titulis articulum in ejus generis locis omisisse, posteriores vero imperatores posuisse (4), excepto quod ad verbum συνόδῳ spectat (5). Praesides contra, Antoninorum duntaxat aetate, cujus unius satis multi tituli exstant, saepius cum formula ἄρχουσι βουλῇ δήμῳ articulum omisisse videntur (6).

In interioribus vero epistulis articulum saepe abesse videmus cum locutionibus quibusdam, earum quidem similibus quibus Graeci quoque sine articulo utebantur : εἰς παράδοσιν (7), πρὸς ἀπόλαυσιν (8), ἀπὸ χρή[σε]ως (9). Hoc quidem maxime graecum est; illud tamen paulo minus cum Graecorum ingenio congruere videbitur quanquam Graeci ipsi ejusmodi sententiis utebantur (10), si quis scripserit cum complemento : εἰς ἐπανό[ρ | θωσιν τῶν ὑπὸ τοῦ | σεισμοῦ πεπονηκότων (**39**, XI C 7-8); εὐ[τ]ονίᾳ τῇ προσηκ | οὐ]σῃ (**84**, 44-45); ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ παντὸς ἀνθρώπων γένους (**121**, 7); πρὸς συκοφαντίαν τῶν, etc. (**121**, 58); περὶ αναμετρήσεως τῆς, etc. (**121**, 59). Quae consuetudo frequentissime apparet in edicto Diocletiani, in quo, ut exempla demus, reperire est στρώματα κατὰ ἀναλογίαν τοῦ σταθμοῦ (**82**, 19, 25) aut εἰς χρῆσιν τῶν ἰδιωτῶν (**82**, 26, 10) aut ἀπὸ φώρμης τῆς προειρημένης (**82**, 27, 22); quod ultimum exemplum eo magis conspicuum est quod alias ἀπὸ μὲν τῆς γ' φώρμης τῆς

(1) N. **5**, 4-5.
(2) N. **7**, 10.
(3) N. **11**, 2.
(4) In **19**, **4**, quae est epistula Hadriani, dubitari potest an τοῖς ante ἄρχουσι restituendum sit; in numero vero **16**, 4, nihil est cur Duboisium sequamur et omittamus τοῖς.
(5) N. **17**, 7; **28**, 5; **52**, 6; **60**, 25-26; **62**, 5-6.
(6) Vide **93**, 1-2; **94**, 43; **96**, 11 (231 A. D); **100**, II G, 6-7; **101**, III A, 3; **104**, IV G, 8-9; **112**, X G, 4-5; **115**, 32-33 (201 A. D.); cf. contra **99**, I F, 5-6 (τῇ β[ου | -λῇ]) et **132**, III A, 11 (τῇ βουλῇ) et passim τῷ κοινῷ.
(7) **82** (edictum Diocletiani) **20**, 12, **22**, 2.
(8) N. **121**, 8.
(9) N. **82**, 7, 55 (latine : ab usu).
(10) Vide Blass, § **46**, 9. Exemplis alioquin e novo testamento excerptis multa possent adjungi, praesertim e tempore graeco-romano.

προειρημένης (**82**, 26, 65) aut similia reperiamus. Ex aliis exemplis ejusdem generis, in quibus aliquando vim sermonis latini cognoscere possumus tantum maxime conspicua excerpamus : ubi quidem M. Aurelius scribebat Εὔνοια ὑμῶν ἣν ἐνεδείξασθε (1), certe Graeci scripsissent ἡ εὔνοια ; ante ἀμφισβήτησις quoque (2) articulum exspectamus, cum verbum hic non generalem sensum habeat, sed participio definiatur. Articulus pariter in καὶ ἐκ παλαίο[υ Ῥω | μαίων ἀρχῇ χρήσιμ[ο]ς (3) necessarius esse videtur, non ante Ῥωμαίων, sed ante ἀρχῇ, quem non datum a Le Bas-Waddington restituit CIG, nescio an merito. Quod vero ad n. **84** attinet, eo facilius mendum seu scriptoris, seu lapicidae, in πρόνοια γίγνοιτο (4) agnoscimus, quod, paulo infra, ἡ [ἐ]κδικία γίγνοιτο (5) inveniatur. De κατ[ο]χή[ν quidem (6) et ἀντίγραφον (7) quaeri potest an minus graeca sint quam τὴν κατοχήν aut τὸ ἀντίγραφον. Cujus articuli omissi consuetudo vere latina esse videtur in nostro titulo **116** ubi jam animum vero romanum agnovimus (8). Nam in σημαν[τῆρ]α καὶ δικαιοδοσίαν (v. 222) et θείας τύχης (v. 238) et [ἀν]εισφορίαν (v. 240), et ἄνεσιν (v. 242) et τοπάρχου (v. 244), et ταῦτα ἐμπόρια (v. 231), si quaedam separatim explicari possunt, haec articulorum omissorum tam longa series ideo tantum nobis non mirationi erit si nostrum titulum a romano homine scriptum esse meminerimus. Ultimo praeterea exemplo conferamus [τα]ύτης ἀπειρίας (9), quanquam mendum in utroque titulo lapicidae tribui potest. Nam τά post ταῦτα et τῆς post ταύτης facillime in incidendis verbis omittuntur.

Qua praeteritione excepta, pronomina vix contra usum graecum adhibita invenimus. Hoc etiam notandum est sen-

(1) N. **62**, 8.
(2) N. **93**, 2.
(3) N. **68**, 20-21 (vide notam).
(4) V. 43.
(5) V. 45.
(6) N. **14**, 24.
(7) N. **93** praebet v. 10 τὸ ἀντίγραφον, et v. 19 ἀντίγραφον cum sensu fortasse paululum dissimili; cf. **20**, 9, τὸ ἀν[τίγραφον et **58**, 13 ἀντίγραφον, ut videtur, cum eodem sensu.
(8) Vide supra, p. 80.
(9) N. **144**, 7.

tentiam quamdam Viereckii hic minus esse veram; « Romani, inquit ille vir doctissimus, saepius utebantur pronominibus possessivis ἐμός, ἡμέτερος, ὑμέτερος quam genetivis pronominum personalium μου, ἡμῶν, ὑμῶν » (1). Quos genetivos, more Graeco usurpatos, in nostris titulis permultos reperimus : ἡμέτερος enim (2) excepto uno titulo, et ἐμός (3), et praesertim σός (4) rarissime apparent; ὑμέτερος sane frequentius exstat (5); sed μου (potius quam ἐμοῦ) (6) et ἡμῶν (7), et praesertim ὑμῶν (8) saepissime locum possessivi obtinent; pronomen vero σου, quamvis rarum (9), non est rarius quam possessivum σός neque alia causa reperienda est quam quod plerique nostri tituli ad plures mittantur. Hoc quoque de pronominibus nobis colligere licet inclinativas formas pronominis ἐγώ frequentiores esse quam non inclinativas (10); quod, inter alias causas, ex similitudine verborum me et με etc. oriri potest. Quod vero est ad ὑμᾶς αὐτούς aut ὑμῶν αὐτῶν adhibitos pro ὑμᾶς vel ὑμῶν (11), nihil barbari observandum est cum scriptor in ὑμᾶς aut ὑμῶν legentem commorari velit (Cf. latine : vos ipsos), neque ipsum pronomen μου usurpatum semel pro ἐμαυτοῦ (12) nobis, eo saltem tempore, mirationi esse potest (13), denique ἑαυτούς pro ὑμᾶς αὐτούς semel adhibitum (14) ne a Polybio quidem nos amovebit.

(1) P. 60.

(2) N. **9**, 6; **81**, 10; cf. **84**, 16, 19, 21, 27, 31, 33, 36, 37, 39.

(3) N. **6**, 26; **8**, 10; **49**, 7; **88**, 9.

(4) N. **78**, 18.

(5) N. **5**, 5-6; **6**, 24; **20**, 7; **51**, 10; **54**, 9; cf. **65**, 8; **121**, 8.

(6) μου : **7**, 15, **8**, 18, 20; **11**, 4; **14**, 10, 28; **23**, 16; **49**, 7, 8; **51**, 15; **52**, 13; **61**, 19; **68**, 13; **115**, 37; **117**, 30; cf. ἐμοῦ, **14**, 29, et ἐμαυτοῦ, **121**, 6 (nota hoc pronomen hic bene esse usurpatum).

(7) N. **62**, 13; **72**, 5; **94**, 45; **115**, 35; **134** IV A, 4-5.

(8) N. **7**, 11, 26; **8**, 15, 22; **15**, 6, 7 (?) 10; **19**, 6; **20**, 9; **26**, 6; **38**, Epistyl. 5; **57**, 3; **62**, 8; **72**, 2; **93**, 8; **134**, IV A, 3.

(9) N. **9**, 3, 7; **107** VII A, 5.

(10) De μου et ἐμοῦ, vide supra; nota quoque παρ' ἐμοῦ **54**, 10, et **55**, 13; item frequentissime με et μοι, multo rarius ἐμοί et ἐμέ in imperatorum epistulis notavimus.

(11) N. **108** VII G, 13-14 : ἐπαινῶ δὲ καὶ ὑμᾶς αὐ | τούς; **132** III A, 14 : ἀλλὰ καὶ ὑμῶν αὐτῶν πληρέστατα μαρτυρούντων.

(12) N. **115**, 37 : μου τοῖς γράμμασιν προέταξα.

(13) Cf. supra, n. 6; de illo usu in novo testamento, vide Blass, § 48, 6.

(14) N. **6**, 32. De ejusdem generis Polybii consuetudine, vide Kaelker, p. 277. Cf Viereck, p. 61 (et tit. III, v. 11).

Ex quibus colligere possumus de articulo et de pronominibus nusquam temeritates a Viereckio in suis titulis observatas superatas esse, aliquando vero, praesertim quod ad possessivum pronomen attinet, morem paulo magis elegantem ac graecum saepe habitum fuisse.

CAPUT III

DE CASIBUS

Quod primum ad vocativum pertinet, hoc tantum observandum est hunc casum sine ὦ usitatum esse (1), quod quidem non omnino atticum, sed crebrum est, praesertim tempore graeco-romano apud omnes scriptores. Rursus, plane graecus est ille nominativus participii cum articulo, vocativo cuidam appositus, quo Nero utitur in nostro n. **8** (2).

Inter genetivos vero, is qui vocatur qualitatis observatusque fuit a Viereckio in prioris temporis titulis non participio ὤν comitatus (3) constanter apparet in nostris, cum verbis δημαρχικῆς ἐξουσίας. Similiter genetivus originis hic apparere solet cum verbis υἱός et υἱωνός in primis duntaxat versibus imperatoriarum epistularum. Quod vero ad nomina incolarum graecorum attinet, genetivum solum invenimus (4). De quibus haudquaquam nobis mirandum est, cum Romani illic genus et honores alibi latine scripta transferrent aut quodam modo imitarentur, hic nomina et stirpem Graecorum a decretis ipsis nullo pacto mutata traherent. Magis quidem mirus est ille genetivus quo tempora indicantur : generaliter profecto, sicut in ceteris ejusdem temporis et anterioris scriptis, genetivus cum praepositione πρό hic apparet (5); accidit vero ut solus se ostendat (6) : quod nullo modo explicari potest, nisi quod aut per negligentiam, aut propter similitudinem genetivi temporis praepositio omissa fuerit.

(1) N. **8**, 9; **14**, 10. De usu hujus vocativi iisdem temporibus, vide Blass, § 33, 4; cf. Jannaris § 1253.

(2) V. 12-13: Πάντες οἱ... κατοικοῦντες Ἕλληνες.

(3) P. 62.

(4) Vide totam epistularum seriem de Opramoa scriptarum : ibi semper reperimus Ὀπραμόᾳ Ἀπολλωνίου δὶς τοῦ Καλλιάδου.

(5) De vitio hujus translationis non est hic locus disputandi, cum usus tempore graeco-romano constet. Vide Viereck, p. 81. Libenter quidem existimamus primos Graecos qui latine scripta transferrent, non intellexisse quae origo esset accusativorum qui verbum « ante » sequerentur.

(6) N. **24**, 12; **25**, 11.

Inter dativos quidem in nostris titulis adhibitos, plerumque seu vere graecos, seu saltem graeco-romano tempore apud omnes usitatos, unus, jam a Viereckio notatus, nobis eximius esse videtur, scilicet dativus pro ablativo latino temporis usurpatus. Qui, ut par est, in iis titulis apparere solebat in quibus e nominibus consulum tempus adscribebatur; in nostris vero annum satis significant nomen et honores imperatorum. Attamen hic dativus non semel in numeris nostri catalogi se offert (1); rursus alibi genetivus manifesto restituendus est (2).

Inter denique accusativos, hic praesertim notatione dignus est qui cum infinitivo, ut subjectus, conjungitur : de quo infra dicemus. De aliis vero perpauca indicabimus. Accusativus sane unicus, sed omnino exspectandus sequitur verbum πρίδιε, ad similitudinem latinae consuetudinis (3). Praeterea ad id tantum notandi sunt crebri adverbiales accusativi neutrius generis, in edictо Diocletiani passim scripti, velut ʽημερήσια vel ʽημερ(ήσια) (4) et μηνιαῖα vel μη(νιαῖα) (5), ut observemus ingenium graeci sermonis hic nullo modo delibatum esse. Adverbialis quoque accusativus σὴν χάριν (6) ideo tantum conspicuus est quod possessivum nomini adjunctum sit. Quin, haud semel videmus elegantiam quandam in pluribus accusativis vere graecis usurpatam esse, sicut τ]ὴν φιλοτιμίαν ἣν φιλοτιμ[εῖται... (7) et ἐθύ[σατε τοῖς ἐνχωρ | ίοις θεοῖς θυσίας χαρισ[τηρί[ους (8), et πλ(εῦσ)αι (seu πλῖ) τὴν θάλασσαν (9). Cujus generis tantum exempla in usurpandis casibus nobis conspicua esse videntur, quippe qui multo plura et graviora menda post senatus consultorum aetatem exspectaremus.

(1) N. **52**, 15; **74**, 12-13; **88**, 12-13; cf. **137**, 2-5 Αὐτοκράτορι Τραϊανῷ ʽΑδριανῷ Καί | σαρι Σεβαστῷ τὸ β', Γναίῳ Πεδανίῳ Φούσ | κῳ Σαλεινάτορι ὑπάτοις. De iis dativis vide Thumb, p. 153.

(2) N. **162**, 16-17 : 'Επὶ ὑπάτων Σερβίο]υ Σκειπίωνος, etc.

(3) N. **14**, 8.

(4) N. **82**, 7, 13 (latine : adjectivum « diurni » male quidem junctum) et alias.

(5) N. **82**, 7, 64 (latine : adjectivum « menstruos » non melius junctum) et alias.

(6) N. **78**, 18.

(7) N. **54**, 7; **55**, 11-13.

(8) N. **68**, 18-19.

(9) N. **26**, 7.

CAPUT IV

DE VERBO PROPRIE DICTO, AC DE ALIQUOT ENUNTIATORUM FORMIS

Primum quod ad verbum attinet, nostri tituli confirmant illam « notissimam legem ex qua cum subjecto neutrius generis numeri pluralis conjungitur a Graecis numerus singularis verbi » libenter a Romanis neglectam esse (1). Attamen cum eam legem ipsi Graeci ejusdem temporis saepe violaverint (2), non est cur nimis magni momenti existimemus esse haec exempla : τίνα εἰσὶν ἃ κατεσχήκασιν ὑμῶν Κο[ρ]ωνεῖς ἐνέχυρα (**57**, 3); στρώματα... (solus subjectus), etc. πιπράσκεσθαι ὀφείλουσιν (Edictum Diocletiani = n. **82**, 19, 25); ἅπερ... καταδεέστερα εἶεν φακιάλια (id., 26, 114); ὅπερ (mendum pro ἅπερ), etc. καταδεέστερα ἶεν ὠραρίων (id. 27, 22); ἅπερ, etc. ε[ἴ]εν (seu εἰσὶν) ἀναβολαίων (id., 26, 93, ubi nota omni modo sive cum εἶεν sive cum εἰσίν pluralem exstare). In eodem vero Diocletiani edicto, reperiuntur quoque, post pluralem nominis, ὀφείλει et ἐστίν aut aliorum verborum singularis; vide exempli causa πάντα τὰ μέτρα παραφυλάσσεσθαι ὀφείλει (id., 29, 49); ἅπερ, etc. ἐστὶν καταδεέστερα, ἐν πλείοσιν μέντοι κατασκευάζεται (id., 26, 65).

Hoc quoque quodam modo latinum esse videtur, aliquando mediam et activam vocem sine lege certa adhiberi. Sic cum eodem sensu et in titulis sive iisdem, sive simillimis, invenimus tum et παρέχομαι (3) et παρέχω (4), tum et ποιεῖν (5) et ποιεῖσθαι (6), tum et πονεῖν (7) et πονεῖσθαι (8); quibus exemplis non est locus adjungendi ἐσφράγισμαι et ἐσφράγισα et ἐσφράγικα

(1) Viereck, p. 62.
(2) Vide Jannaris § 1171.
(3) N. **8**, 17-18; cf. **9**, 27.
(4) N. **8**, 24.
(5) N. **35**, 27, ὁ δὲ ψευδεῖς ἀπογραφὰς ποιήσα[ς] (ita in CIA; CIG immerito πο[ιούμενος).
(6) N. **35**, 64-65 δευτέραν ἀπογραφὴν ποιησαμέ | νοις.
(7) N. **39**, XI C, 9-10, πεπονηκότων; **44**, XII D, 3, πεπονηκυίας.
(8) N **41**, XI G, 10-11 πε[πο | νημέναις.

sine causa in fine tituli **137** permixta (1) cum nomina ipsa homines rudes quidem, sed graecos, non romanos ea scripsisse nobis significent. Neque magis est cur in n. **44** XII D 2-3 ἐφιλοτείμησε (2) restituamus, cum nusquam alibi hoc verbum in activa voce usurpetur, et facillime ἐφιλοτειμήθη restitui possit.

De temporibus aliquid praeterea dicendum, et primum de praesenti tempore ac de imperfecto. Qua de re Viereck in commentario suo (3) scripsit eam, in epistula VI, 5, scribendi rationem adhibitam esse, « ut temporis quo is, qui epistulam accepit, legeret eam, ratio habita sit (4) ». Hoc quidem nobis nulla exempla tam clara expromere licet. In nostro vero **17** 13-14 quaeri potest an illud imperfectum ἡγούμην pro praesenti, ad similitudinem imperfecti latini « existimabam » (eo tempore quo scribebam) positum sit. Quod idem notari potest in **45** XII E 1 cum ἐμάνθανον. Praeterea, cum aoristus et perfectum in latino sermone eodem modo exprimerentur, non est mirum Romanos, sicut aliquando ipsos Graecos, scripsise πέπομφα (5), aut γέγραφεν (6), aut ἐπεστάλκετε (7), aut ἐπέσταλκα (8), ubi aoristus potius exspectaretur. Quid! In eadem sententia apparent interdum et perfectum et aoristus cum verbis pariter dispositis, neque potest vera sensus dissimilitudo perpendi, sicut in ὧν [ἐ]κεῖναι | αἱ πόλεις ἐπέστειλάν μοι καὶ ἐξ [ὧ]ν ὑμεῖς γεγράφφατε (9), nisi tamen subtilissime putemus scriptorem discrimen quoddam dispexisse inter legationem fugacem et epistulam mansuram. Neque est magis mirum Romanos paulo saepius plusquamperfecto usos fuisse quam Graeci solerent, et in eodem titulo (10), neque cum quoquam sensus discrimine,

(1) V. 78-79, ἐσφρά | γισα, v. 89 ἐσφράγισμαι; v. 95 ἐσφράγικα.

(2) Sic Heberdey.

(3) P. 66.

(4) Quod exemplum nullo modo latinum sermonem redolet, cum in Macedonum epistulis idem ὑγίαινον initio epistularum notari possit. Vide Michel, Recueil d'inscriptions grecques, 45 A, v. 12; 45 B, v. 7; 45 B, v. 19; 45 C, v. 2; 49, v. 3.

(5) N. **20**, 9; **93**, 10, 18-19; cf. **58**, 13, cum eodem sensu ἔπενψα.

(6) N. **93**, 20.

(7) N. **132**, III A, 15 ἐπεστάλκετε videtur esse pro ἐπεστάλκατε; de ejusmodi mutationibus vide Dieterich, p. 239.

(8) N. **134**, IV A, 3.

(9) N. **45**, XII E, 2. Meisterhans quidem apud ipsos Atticos ejusdem generis usus mixtos invenit, p. 205; cf. Thumb, p 153.

(10) N. **7**.

scripsisse (v. 18) ἐπεστάλκειτε et paulo supra (v. 14-15) ἐνετε[ί-| λασθε.

De modis verbi aliquid quoque est dicendum; et primum de infinitivo disseremus quo et frequentissime et libentissime Romani utebantur. At mehercule non semper ibi latinae dicendi rationes videndae sunt ubi infinitivus apparet cum κελεύω vel κρίνω, vel οἶμαι vel ἀξιῶ, vel δεῖ, vel δικαιότατόν ἐστιν, vel ἄξιόν ἐστιν,, vel εἰκὸς ἦν (1), quibus sententiarum formis Graeci quoque uti solebant, et hoc tantum ponendum est fortasse paulo libentius ideo hunc infinitivum usurpari, quod a Romanis constanter infinitivus cum « *jubeo* », « *existimo* », etc., adhibeatur. Quae res nobis praesertim manifesta videtur in sententiis in quibus infinitivus passivus aut infinitivus cum verbi impersonali dicta tertia persona junctus apparet; vide igitur ut exempla : **52**, 8-9; **58**, 14-15; **110**, X D, 9-10; **38**, 5; **95**, 13-16 (φανερὸν ποι | ῆσαι διατάγματι ἔσεσθαι τὰς ἡμέρας | ταύτας ἱερὰς καὶ τὰς ἐπ' αὐταῖς ἐκε | χειρίας φυλαχθήσεσθαι); **58**, 16-17; **84**, 44, (οὖσ[π]ερ ἂν ἐν τῇ προτέρᾳ αὐθαδίᾳ διαμένειν συνστ[αί[η); **136**, 8 (συνωμολογήθη ταύτην εἶναι) (2), Locus quoque in quo infinitivi hujus generis ponuntur sententiae saepe gravitatem quamdam offert quae magis Romanorum quam Graecorum ingenio consentanea est; indicabimus igitur exempli causa praeter ea ad quae supra retulimus sententias quasdam in quibus infinitivum more latino verbum principale sequitur : αἰτεῖσθαι δύνασθαι καὶ αὐτοὺς | κρε[ίν]ω (**14**, 27-28); οἷς ἐγὼ χρῆσθαι τὴν πόλιν | τὴν ὑμετέρα[ν ἀπ]εφηνάμην (**51**, 9-10); πάντα κατὰ [τ[ὴν συνή | θειαν γενέ] σθαι βούλεται (**107** VII A, 10-11). Qui infinitivi antepositi verbis quibus obnoxii sunt a Graecis vitantur, aut saltem non requiruntur, nec dubitamus quin hic aliquot latini sermonis vestigia appareant.

De participio vero nihil fere dicendum est. Etenim hoc modo saepius apud Graecos quam apud Romanos usitato, nostrorum titulorum scriptores haud parce neque inepte usi

(1) In senatus consultis contra raro invenitur infinitivus post verba censendi et jubendi; quod ad hanc rem pertinet, nostri tituli minus consuetudini graecae contrarii sunt; vide Viereck, p. 67-68.

(2) Cf. in nostro titulo **86** qui ad aetatem anteriorem pertinet (= Viereck VII), v. 5 : γεγονέναι συνεφωνεῖτο.

sunt sive absoluto (1), sive verbo cuiquam obnoxio, et quanquam plures nimiam gravitatem interdum huic constructioni attulerunt (2), evenit tamen ut quamdam elegantiam nonnunquam reperiamus. Neque dubium est quin ut futurus infinitivus, ita futurum participium hic libenter usurpetur : sicut in **6**, 32, τεθησομένοις, et in **68**, 25, ἐσ[ό]μενον (Cf. n. **121**, 35, κατασταθησομένοις).

Antequam sane verbum relinquamus, nos decet commemorare aliquot enuntiatorum formas ubi alii modi adhiberi solent. Et primum ea necesse est notemus quae ad particulam ἄν pertineant. Quanquam vero Romani hoc verbum libenter omittebant, quod Viereck satis demonstravit de suis epistulis ac praesertim senatus consultis, paucissima hujus generis menda in nostris titulis invenimus. Raro enim reperimus optativum sine ἄν in locis ubi sensus modi « potentialis » a recentibus grammaticis dicti manifestus sit. Neque alia ejus rei exempla afferre possumus nisi e duobus edictis exempla excerpta : **84** 43 sq. : καὶ κατὰ τούτω[ν], | οὔσ[π]ερ ἂν ἐν τῇ προτέρᾳ αὐθαδίᾳ διαμένειν συνστ[αί]η, εὐ[τ]ονίᾳ τῇ προσηκ[ού]σῃ ἡ [ἐ]κδικία γίγνοιτο, ubi particula ἄν, dum adest in enuntiato relativo abest a principali, et n. **82**, 26, 93; id, 16, 114; id, 27, 22, ubi enuntiatum relativum quod initium capit ab ἅπερ vel ὅπερ, et prope vim enuntiati principalis habet, optativum εἶεν (3), sine ἄν admittit. Similiter quidem fortasse in titulo **8**, 11-12 (οὐκ ἐχωρήσατε) et certe in **39** XI, C 2-3 (εἰκότως ἐτύν[χα | νεν, etc.) particula ἄν desiderari potest, cum sensu modi « irrealis » dicti. Ejusdem denique particulae cum subjunctivo bene usurpatae multa exstant exempla, seu in enuntiatis relativis condicionem aliquam continentibus, seu cum conjunctionibus aut adverbiis, neque quidquam apparet de quo miremur, nisi particula ἄν cum conjunctione ἵνα in titulo **84**, 25-26, adhibita : ἵνα, etc. | ...ἂν κατ[α]-

(1) Vide in oratione Neronis (8) haud. inelegantia participia absoluta : v. 17 ἀκμαζούσης τῆς Ἑλλάδος et v. 22-23 ὧν | ... αἰεί μου προνοουμένων

(2) Si nostrum **137** quem non transcripsimus legas, videre possis v. 12-18, δοθείς, et τηρηθείς, et ἀκούσας, cum complementis, et etiam participio absoluto ἀμφισβητουμένης, post subjectum gravissime poni ; cf. id v. 35-37.

(3) Cum 26, 93, εἰσίν in uno exemplari est quoque datum

χοιμι[σθ]ῶσιν ; quod simile est quodam modo iis exemplis quae Viereck retulit (1), neque tamen tam barbarum esse videtur quam ejus tituli XVIII, 48-49 ἃς ἄν. | .συντελέσουσιν. Itaque haudquaquam nobis apparet majorem postea esse factam illam « hominis Romani » imperitiam quae in titulis anterioris aetatis de hujus particulae usu observabatur.

De aliis enuntiatorum formis nonnulla quoque notanda sunt. Et sane, quanquam participium saepe et recte adhibetur, accidit ut enuntiata relativa ibi reperiamus, ubi Graeci potius participio usi fuissent. Paululum igitur nobis latina videtur illa sententia, jam absentis articuli causa conspicua : Εὔνοια ὑμῶν ἣν ἐνεδείξασθε, etc. (2), ac praesertim illi edicti Diocletiani non semel notandi loci qui a verbis ὅπερ aut ἅπερ incipiunt. Alibi vero relativum pronomen non aliter adhibetur atque latinum « qui, quae, quod » cum pronominis « hic, haec, hoc » sensu : ita se agunt nostrum ἐφ' οἷς ἅπασι ἐπαινῶ ὑμᾶς (3) et nostrum ὅπερ οὐ καλῶς ἐνδέχεται εἰ μὴ ἄνωθεν γένοιτο ἀντίγραφα (4). Saepe quoque pronomen interrogativum ita adhibitum invenimus, ut sub graeco sermone illud interrogativum enuntiatum tam Romanis carum agnoscamus, sicut in : ἔμαθον] καὶ πρὸς ὅσας πόλεις [ἐπο | λειτεύσατο καὶ ἐν καιρο[ῖ]ς τί[σιν, etc. (5) aut verisimiliter in τίν[α | τρόπον καὶ πάλιν (?) etc.] (6), aut saltem : πόσον δέ ἐστιν τὸ ὀφειλόμ[ε | νον τέλος ἢ τίνα εἰσιν.... Ἀριστώνυμος ὁ αὐτὸς κρινεῖ (7), ubi verbum ipsum principale dictum, in fine sententiae post interrogativam sententiam positum, latinum sermonem redolet. Quod vero ad enuntiata seu hypothetica, seu finalia attinet, omnia generaliter recte se habent. Haud semel tamen εἰ cum optativo ibi invenitur, ubi paululum ἐάν cum subjunctivo exspectaret quisquis sensum non accurate, inspiceret : εἴ τινα Θισβεῖς ἐπινέμοιεν, etc. | δώσουσι μέν, etc. (8), et ἐὰν δὲ τῶν ἐκ τοῦ πλοίου τις | μηνύσῃ,

(1) P. 67.
(2) N. **62**, 8.
(3) N. **6**, 27-28.
(4) N. **122**, 31.
(5) N. **43**, XII A, 12-13.
(6) N. **44**, XII C, 12, sqq.; quod praesertim quidem e supplementis constat.
(7) N. **57**, 2-4.
(8) N. **58**, 15-16.

ἐπάναγκες ὁ στρατηγὸς τῇ ἑξῆς | ἡμέρᾳ βουλήν ἀθροισάτω, εἰ δ' ὑπὲρ τοὺς | πεντήκοντα ἀμφορεῖς εἴη τὸ μεμηνυ | μένον, ἐκκλησίαν (1); in quibus sententiis tamen εἰ cum optativo non omnino eumdem sensum habet atque ἐάν cum subjunctivo (quod est antepositum in altera) et paululum ad tempora superiora legentem refert. Ex quo hoc tantum apparet Romanos qui ipsi optativum cum subjunctivo commiscebant, libenter praeterita subjunctivi tempora per optativum reddidisse, neque semper tempus in principali sententia adhibitum curavisse. Quod denique ad ἵνα cum indicativo usurpatum attinet, quod in papyro quadam (2) exstat, verisimile est hoc esse Aegyptii scribae mendum, cum in eodem titulo bis ἐάν cum indicativo maxime barbare appareat (3).

Haec quidem maxime conspicua in nostris titulis exstant, de verbo et enuntiatis omnis generis. Permulta sane negleximus aut impure aut obscure dicta, in titulis duntaxat magis barbare transcriptis quam ut aliquid certi ex iis colligi possit. Quae vero sine dubio accipi possunt, ea raro illam « summam ignorantiam » ostendunt quam Viereck merito in senatus consultis saepe offerri notavit.

(1) N. **35**, 49-53; cf. id. 59-60 et passim in edictis.
(2) N. **122**, 36 : ἵνα οἱ συναλλάσσοντες μὴ κατ' ἄγνοιαν ἐνεδρεύονται.
(3) N. **122**, 34 : ἐὰν .. κρατεῖται et 38 ἐὰν... δ'εἰσιν.

CAPUT V

DE PRAEPOSITIONIBUS ALIISQUE APTOTIS

Quod ad verba aptota dicta, id est flexionibus carentia spectat, aliquid primum de praepositionibus est dicendum. Ex quibus tantum eas recognoscemus de quibus quidquam novi aut conspicui notandum esse videbitur.

'Από, sicut in titulis Viereckii raro ad tempus pertinet (1); saepe vero ad locum adhibetur, praesertim in formulis quibus hoc indicatur unde epistulae scriptae sint (2): in edicto praeterea Diocletiani de forma et materia et specie dicitur cum sensu praepositionis latinae « ab » (3).

Διά cum genetivo aut locum significat (4) aut interventum alicujus rei hominisve, ac specialiter de nuntiorum et legationum opera adhibetur (5). Propter quod in titulo **27**, 10 restituimus δι' ἧ[ς], non δι' ἥ[ν] post verbum πρεσβείαν. Cum accusativo vero διά significat aut modum aut causam (6).

Εἰς omnes graecos sensus admittit, et hoc tantum dignum est quod notetur : παρῖναι | εἰς Κόρινθον (7), quod jam ut Viereck nos admonet (8) jam sermoni Polybiano convenit.

'Εκ maxime frequens est de origine, specialiter de origine rei cujusquam cognoscendae, et forsitan latinum « cognoscere » aut « comperire ex » saepe translatum sit per μανθάνω ἐκ, aut per aliud verbum cum eadem praepositione (9).

(1) Vide tamen **7**, 25 : ἀπὸ τῆς πρώτης ἡλικίας,

(2) **9**, 1; **12** ep. c., 10; **23**, 19-20; **24**, 13-14; **25**, 11; **26**, 10, 11; **28**, 10; **42**, XII B, 1; **47**, XII F, 12: **52**, 14; **59**. 12.

(3) N. **82**. Vide passim et exempli causa 7, 55 ab usu = ἀπὸ χρή[σε]ως; **26**, 31, ἀπὸ λίνου; **26**, 65 ἀπὸ...φώρμης..

(4) N. **8**, 22-23.

(5) N. **14**, 17 : τὰς ἀφορμάς, δι' ὧν, et passim διὰ τοῦ πρεσβεύοντος, διὰ τοῦ ψηφίσματος, etc,

(6) N. **8**, 21 : δι' ἔλεον.. δι' εὔνοιαν; **72**, 1-2 : διὰ τὴν προαίρεσιν, etc.

(7) N. **8**, 5.

(8) Vide p. 65 de παρεῖναι εἰς 'Ρώμην (tit. XVI, 63-64).

(9) N. **16**, 7 (cf. n. **17**, 9 ἐπιγνοὺς ἐκ), et passim in plurimis titulis de Opramoa.

'Επί cum genetivo tempus plerumque significat (1). Aliquando quoque latino « coram » respondet (2). Cum dativo vero haec praepositio minus rara esse videtur quam in Viereckii titulis, et aut causam (3), aut argumentum rei cujusdam (4) aut finem (5) secundum Graecorum consuetudinem exprimit.

Κατά cum accusativo raro distributive ponitur (6); saepius vero in formulis quibusdam invenitur, ubi plerumque latino « secundum » respondet (7).

Παρά cum genetivo indicat originem et ad id plerumque adhibetur ut populum aut civitatem significet unde legati veniunt (8). Simul ac dativus quoque nonnunquam invenitur cum notissimo sensu qui ad locum spectat.

Περί cum genetivo praebet aliquando sensum praepositionis latinae *de*, rarius quidem quam in senatus consultis (9). Exstat quoque cum accusativo, dum raro loci sensum praebet (10), saepius latino *ad* aut *erga* respondet (11).

Σύν haudquaquam inveniri videtur, duntaxat in imperatorum praesidumve epistulis, atque, ut par est illo tempore, hujus verbi locum μετά generaliter obtinet (12).

(1) Vide passim ἐπὶ ἀρχιερέος, in titulis de Opramoa; cf Viereck, p. 64, et ἐπὶ ὑπάτων in titulis ejus.

(2) N. **7**, 21 : ἐπ' ἐμοῦ.

(3) N. **6**. 27 ἐφ' οἷς ἅπασι ἐπαινῶ... Cf. Viereck, p. 64 qui notat in suo VI, 20 et in Mon. Anc. 1, 4, ἐφ' οἷς πᾶσιν et ἐφ' ο]ἷς ad causam significandam : « quae cum ita se habeant »; cf. nostros **9**, 6. ἐφ' οἷς. et **68**. 12-13.

(4) N. **7**. 11 : ἐπὶ τῇ ψευδῶς ἐπι[σ]τολῇ, etc.; **80**, 10 : ἐπὶ τῇ καταστάσει, etc.

(5) N. **105**, V E, 10 : ἐπὶ.. τῷ.. εἶναι, etc.

(6) Cf. contra Viereck, p. 65. Cum hoc sensu quidem, notamus tantum **119**, 11-12 καθ' ἕ[κ ¦ αστον τόπο[ν quod haudquaquam certum est supplementum.

